Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Decimus Iunius Iuvenalis Eilhard Lubin

Ivnii Ivvenalis Aqvinatis Satyrarum Libri Qvinqve, Post omnium editionem plurimis in locis accuratissimè emendati & editi ab Eilhardo Lvbino Poeseos in Academiâ Rostochinâ professore publico

[Rostock]: [Reusner], 1599

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775709930

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

20. b. 16.

~~XX. 15.~~

Cd_5935 1.2

~~C. II. e. 3356 1.2.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1775709930/phys_0002

IVNII
IVVENA
LIS AQVI-
NATIS
Satyrarum
LIBRI QVINQVE,
Post omnium editionem
plurimis in locis accura-
tissimè emendati
& editi
ab
EILHARDO LVBINO
Poëseos in Academiâ Rostochinâ professore publico.
cIↃ IↃ Ic.

XXX

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1775709930/phys_0006

Eximijs

ET

PRÆCLARIS IVVENIBVS,

DN. IVSTO ET ROBERTO HAKEN,

Fratribus Germanis,

CANONICIS APVD BREMENSES, *convictoribus & amicis meis carissimis.*

SAtyras quas jam in politioris litteraturæ studiosorum gratiam edo, Iuvenalis sunt. De quo auctore, ut quid sentiam breviter atq; liberè eloquar, unum illum inter omnes, qui Latinè scripserunt, Poëtam deputo, dignum qui nunquam è juniorum manibus deponatur. Si quis

enim unquam inter omnes Græcos & Latinos, ut cum Flacco loquar

Omne tulit punctum, quod miscuit utile dulci,

Hic omnium doctorum suffragio & calculo illud punctum omnibus reliquis præripuit. Sermo in illo longè omnium Latinissimus, & purior, quàm in Horatio; numeri rotundi, concinni & elaborati, Horatianis longè exactiores; Sentētiæ verò creberrimæ, & ad miraculum usq; præclaræ & ingeniosæ. Vt jam de materiæ, quam tractat, dignitate, & argumentorum varietate & nobilitate nihil dicam: Quæ profectò argumenta ille tantâ ingenij, & judicij dexteritate tractavit, ut ad firmare nihil verear, in unâ Iuvenalis Satyrâ plus doctrinæ & sapientiæ ad vitam moresq; regendos & corrigendos contineri, quàm in toto Aristotelis ad filium libris. Taceo etjam incredibilem urbanitatem, & sales aculeatâ mordacitate ingeniosissimos nulli forte Poëtarum imitandos. Quibus omnibus auctor hic Lucilium, Persium. & Horatium

ratum ipsum, & omnes, quotquot in hoc carminis genere aliquid tentarunt, longè post se reliquit; adeo ut non immerito Acron ille Horatij commentator dixerit: Nisi Iuvenalis scripsisset, Horatio nemo esset melior. Dictator autem ille & Monarcha sui sæculi doctorum Iulius Cæsar Scaliger in ingeniosissimis suis Criticis, dum Græcos & Latinos doctissimorum etiam judicio absolutissimos Poëtas incredibili judicij sui dexteritate meritò passim reprehendit: Vnicum Virgilium & Iuvenalem excipit, quos suam censuram merito suo deprecari ad firmat. Idem prorsus judicium magni illius viri magnì filij Iosephi, qui posteritati gratulabatur, quod tam excellentis ingenij Satyrarum opus non unà cum alijs præclaris auctoribus temporum iniquitate concidisset. Hisce enim olim verbis egregium hunc vitæ atq; morum magistrum & censorem præsenti mihi commendabat. Nec aliter sentit Lipsius, cum ait: Iuvenalem Poëtàm

tam à Scaligero patre in Satyrâ præpositum Horatio vidi qui indignaretur. At ille, me judice, inter multa certi & elegantis judicij, nihil verius protulit. De Iuvenali verè judicat. Ardore, altitudine, libertate supra Horatium est. Tangit vitia, objurgat, inclamat, raro jocos, sæpiùs acerbos sales miscet. Quæ omnia in Horatio contra. Certè si quis unquam Poëtarum alius, hic noster exactissimi & absolutissimi Poëmatis Ideam expressit. Vnum meritò dolendum, quod tot passim obscænitatibus præclarum hoc Poëma deformetur, Dum, quod Satyræ proprium, abominanda Romanorum scelera nimis apertè ante oculos posita flagellat. Debetur hoc non auctori nostro, sed perditissimo illi sæculo, de cujus scelerum monstris & prodigijs nemo honestiùs loqui potuisset. De meâ autem hâc novâ editione nihil habeo, quod magnopere pollicear, nisi quod sperem illam post omnes

omnium

omnium editiones maximè emendatam & correctam. Non enim solum ad exemplar optimæ cujusdam notæ libri hunc Poëtam edi curavi, & plurimis in locis ex judicio exactissimorum Criticorum correxi: verum etjam ex meis in hunc Poëtam observationibus, tum ex fide duorum manuscriptorum exemplarium, tum verò ex qualicunque ingenio meo collectis longè pluribus in locis emendavi. Cujus si non ingenij, certè industriæ meæ non fallax specimen in singulis Satyris benevolo lectori exhibeo. Hunc eximium auctorem præ omnibus alijs, etjam atque etjam vobis commendo, juvenes politissimi, vestris profecto studijs hâc ætate cum primis convenientem: Auctorque vobis sum, ut, cum per optimorum auctorum vestigia ad veram eruditionem, & sacratissimarum legum cognitionem felici pede viam ingressi sitis, hunc eximium Poëtam, qui inter reliquos

quos omnes chorum ducit, vobis imprimis legendum & in vitâ imitandum proponatis. Et quem Poëtam quisquis diligenter legit, præcepta ejus imbibit, & ad vitæ mortalium usum revocavit: & viri boni ac sapientis nomen jure sibi usurpaverit, & pœnè super omnia humana caput attollere possit. Vtrumque vester animus mihi non obscurè pollicetur, inque hoc omine epistolam claudo. Rostochij. XI. Calend. Novembris, Anni 99.

V. deditissimus,

Studiosissimus,

EILHARDVS LVBINVS.

D. IVNII IVVENALIS SATYRARVM LIB. I.

SATYRA I.

Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impunè diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plenâ jam margine libri
Scriptus, & in tergo, non dum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi lucus
Martis, & Æolijs vicinum rupibus antrum
Volcani. quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus, unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos
Frontonis platani, convulsaq; marmora clamant
Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem à summo, minimoq; poëtâ.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormiret? stulta est clementia, cum tot ubiq;
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus:
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Cum tener uxorem ducat spado, Mævia Tuscum
Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ:

Patricios omneis opibus cum provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat:
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ:
Difficile est Satyram non scribere. nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se?
Causidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso, & post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa
Quod superest, quem Massa timet, quæ munere palpat
Carus, & à trepido Thymele summissa Latino:
Cum te summoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cælum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ.
Vnciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem:
Parteis quisq; suas ad mensuram inguinis hæres
Accipiat. sanè mercedem sanguinis, & sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quantâ siccum jecur ardeat irâ:
Cum populum gregibus comitum premat hic spoliator
Pupilli prostantis? at hic damnatus inani
Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exul ab octavâ Marius bibit, & fruitur Dijs
Iratis: at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venusinâ digna lucernâ?
Hæc ego non agitem? sed quid magis Herculeius,

Aut

Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumq; volantem:
Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso:
Cum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus, & caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flamineam, puer Antumedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ?
Nonne licet medio ceras implere capaces
Quadrivio? cum jam sexta cervice feratur
Hinc, atq; inde patens, ac nudâ pæne cathedrâ,
Et multum referens de Mœcenate supino
Signator, falsò qui se lautum, atq; beatum
Exiguis tabulis, & gemmâ fecerat udâ?
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam,
Instituitq; rudes melior Locusta propinquas
Per famam, & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid Brevibus, Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquid. Probitas laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avara,
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versus,
Qualescunq; potest: qualeis ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor

Navigio montem ascendit, sorteisq; popposcit,
Paullatimq; animâ caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major auaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neq; enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.
Prœlia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secretò cenavit avus? nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem priùs inspicit, & trepidat, ne
Suppositus venias, & falso nomine poscas.
Agnitus accipies, jubet à prœcone vocari
Ipsos Trojugenas. nam vexant limen & ipsi
Nobiscum. da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior, est, prior inquit, ego adsum.
Cur timeam, dubitemve locum defendere: quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem? sed quinq; tabernæ
Quadringenta parant. quid confert purpura majus
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oveis? ego possideo plus
Pallante, & Licinis. exspectent ergo tribuni
Vincant divitiæ: sacro nec cedat honori,

Nuper

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas, etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Vt colitur pax, atq; fides, victoria, virtus,
Quaq; salutato crepitat Concordia nido.
Sed cum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis, fumusq; domi? densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturq; maritum
Languida, vel pragnans, & circumducitur uxor.
Hic petit absenti, notâ jam callidus arte,
Ostendens vacuam & clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est, inquit. citiùs dimitte. moraris?
Profer Galla caput. noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum, jurisq; peritus Apollo,
Atq; triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius aut Arabarches:
Cujus ad effigiem non tantum mingere fas est.
Vestibulis abeunt veteres, lassiq; clientes,
Votaq; deponunt, quanquam longissima, cenæ,
Spes homini, caules miseris, atq; ignis emendus.
Optima silvarum interea, pelagiq; vorabit
Rex horum, vacuisq; toris tantum ipse jacebit.
Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensâ.
Nullus jam parasitus erit. sed quis feret istas

Luxuria ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Pœna tamen præſens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes, atq; inteſtata ſenectus.
It nova, nec triſtis per cunctas fabula cenas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem facient cupientq; minores.
Omne in præcipiti vitium ſtetit. utere velis:
Totos pande ſinus. Dicas hæc forſitan, unde
Ingenium par materiæ? Vnde illa priorum
Scribendi quodcumq; animo flagrante liberet
Simplicitas? cujus non audeo dicere nomen.
Quid refert dictis ignoſcat Mutius, an non?
Pone Tigillinum. tedâ lucebis in illâ,
Quâ ſtantes ardent, fixo qui gutture fumant.
Et latum mediâ ſulcum deducit arenâ.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur
Penſilibus plumis, atq; illinc deſpiciat nos?
Cum veniet contra, digito compeſce labellum:
Accuſator erit, qui verbum dixerit. hîc ſt.
Securus licet Æneam, Rutilumq; ferocem
Committas: nulli gravis eſt percuſſus Achilles,
Aut multùm quæſitus Hylas, urnamq; ſecutus.
Enſe velut ſtricto, quotiens Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor cui frigida mens eſt
Criminibus, tacitâ ſudant præcordia culpâ.
Iude iræ, & lacrumæ. tecum prius ergo voluta

Hæc,

Hæc anime ante tubas. galeatum sero duelli
Pœnitet. experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atq; Latinâ.

II.

VItra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt,
Indocti primum: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Fronti nulla fides, quis enim non vicus abundat
Tristibus obscænis? castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos:
Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum: sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atq; supercilio brevior coma, verius ergo,
Et magis ingenuè Peribomius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuq; fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam: sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant. ego te evertentem, Seste, verebor,
Infamis Varillus ait? quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus,
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Quis cælum terris non misceat, & mare cælo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu; qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus, atq; ipsis Veneri, Martiq; timendas,
Cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret, & patruo simileis effunderet offas.
Nonne igitur jure, ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Lauronia quendam
Clamantem toties: ubi nunc lex Iulia? dormis?
Ad quem subridens: felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem,
Tertius è cælo cecidit Cato. sed tamen vnde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare taberna.
Quod si vexantur leges, ac jura: citari
Ante omneis debet Scantinia. respice primum
Et scrutare viros. faciunt hi plura: sed illos
Defendit numerus, junctæq; umbone phalanges.
Magna inter molleis concordia. non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit juvenes, & morbo pallet utroq;.
Nunquid nos agimus causas, civilia jura
Novimus, aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucæ: comedunt coliphia pauca.

Vos

Vos lanam trahitis, calathisq; peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum
Penelope melius, leviusq; torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.
Tu nube, atq; tace. donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur.
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidæ. quid enim falsi Lauronia? sed quid
Non facient alij, cum tu multicia sumas
Cretice, & hanc vestem populo mirante perores
In Froculas, & Pollineas? est mœcha Fabulla:
Damnetur si vis, etiam Carsinia: talem
Non sumet damnata togam. sed Iulius ardet,
Æstuo. nudus agas: minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges, ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor, & illud
Montanum positis audiret vulgus arairis.
Quid, non proclames, in corpore judicis ista
Si videas? quæro an deccant multicia testem.
Acer & inflammatus, libertatisq; magister
Cretice pelluces? Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plureis: sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci.
Vvaq; conspectâ livorem ducit ab uvâ.
Fœdius hoc aliquid quandoq; audebis amictu.

Indebitum Sacerdotes.

Nemo repente venit turpissimus. accipient te
Paullatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuere monilia collo,
Atq; bonam tenerae placant abdomine porcae
Et magno cratere Deam: sed more siniſtro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deae maribus patet. ite profanae
Clamatur: nullo gemit haec tibicina cornu.
Talia secretâ coluêrunt Orgia tedâ
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.
Ille supercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu, pingitq; trementeis
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumq; comis auratum ingentibus implet,
Caerulea indutus scutulata, aut galbana rasa,
Et per Junonem dominae jurante ministro.
Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium: quo se ille videbat
Armatum, tolli cum jam vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus atq; recentis
Historiâ, speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi Ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia civis,
Bebriaci in campo spolium affectare Palati,
Et pressum in facie digitis extendere panem.
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Maesta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.
Haec nullus verbis pudor, aut reverentia mensae,
Haec turpis Cybeles, & fractâ voce loquendi

Libertas,

Libertas, & crine senex phanaticus albo
Sacrorum Antistes, rarum, ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusq; magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat jam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
Quadringenta dedit Graccus sestertia, dotem
Cornicini: sive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ: dictum feliciter, ingens
Cena. sed & gremio jacuit nova nupta mariti.
O proceres! censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraq; monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater urbis,
Unde nefas tantum Latijs pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atq; opibus vir,
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? vade ergo, & cede severi
Iugeribus campi, quem negligis. officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini,
Quæ caussa officij? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. liceat modo vivere: fient,
Fient ista palam, cupient & in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora juris
Natura indulget. steriles moriuntur, & illis

Turgidæ

Turgida non prodest condita pixide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracci,
Lustravitq; fugâ mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catuli, Paulliq; minoribus, & Fabijs, &
Omnibus ad podium spectantibus, his licet ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.
Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et pontum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; unâ transire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, manesq; Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis consumta juventus,
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? cuperent lustrari, siqua darentur
Sulfura cum tædis, & si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur. arma quid ultra
Litora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos?
Sed quæ nunc populi sunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus. & tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse Tribuno.
Adspice quid faciant commercia. venerat obses.
Hoc fiunt homines. nam si mora longior urbem
Indulsit pueris, non unquam dérit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagella,

Sic

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

III.

QVamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atq; unum civem donare Sibyllæ.
Janua Bajarum est, & gratum litus, amœni
Secessus. ego vel Prochytam præpono Suburæ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Vrbis, & Augusto recitantes mense poëtas?
Sed dum tota domus rhedâ componitur unâ
Substitit advereres arcus, madidamq; Capenam:
Heic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumq; supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat silva Camœnis.
In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas
Dissimiles veris: quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Heic tunc Vmbricius, quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quàm fuit, atq; eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas,
Dum nova canities, dum prima & recta senectus,

Dum

Dum super est Lacheſi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo.
Cedamus patriâ: vivant Arturius iſtic
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.
Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver,
Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ.
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæq; per opida buccæ,
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter: inde reverſi
Conducunt foricas. & cur non omnia? cum ſint,
Qualeis ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romæ faciam? mentiri neſcio: librum
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi. ferre ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, nôrint alij: me nemo miniſtro
Fur erit: atq; ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & extinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſemperq; tacendis?
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accuſare poteſt. tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodq; in mare voluitur aurum,

Vt

Vt somno careas, ponendaq; præmia sumas
Tristis, & à magno semper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. non possum ferre Quirites
Græcam urbem. quamvis quota portio fœcis Achivæ
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum jussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa Barbara mitrâ.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic altâ Sicyone, asti hic Amydone relictâ,
Hic Andro, ille Samo. hic Trallibus, aut Alabandis,
Esquilias, dictumq; petunt à vimine collem,
Viscera magnarum domuum, dominiq; futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, & Isæo torrentior. ede quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos.
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnabates, medicus, magus: omnia novit
Græculus esuriens, in cælum jusseris ibit.
Aut summã, non Maurus erat, neq; Sarmata, nec Thrax,
Qui sumsit pennas, medijs sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit, fultusq; thoro, meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Vsq; adeo nihil est, quod nostra infantia cælum

Hausit

Hausit Aventini baccâ nutrita Sabinâ?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis?
Miratur vocem angustam, quâ deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare: sed illis
Creditur, an melior cum Thaida sustinet, aut cum
Vxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua, & plana omnia dicas
Infra ventriculum, & tenui distantia rimâ.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda est. rides? majore cachinno
Concutitur: flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem: si dixerit æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior qui semper, & omni
Nocte, dieq; potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Si benè ructavit, si lectum minxit amicus.
Præterea sanctum nihil est, & ab inguine tutum:
Non matrona Laris, non filia virgo, neq; ipse
Sponsus lævis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aulam resupinat amici,
Scire volunt secreta domus, atq; inde timeri.

Et

Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atq; audi facinus majoris abollæ.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Discipulumq; senex, ripâ nutritus in illâ,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus heic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimanthus:
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet. nam, cum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ, patriæq; veneno,
Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitij: nusquam minor est jactura clientis.
Quod porro officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis heic meritum, si currit nocte togatus,
Currere cum Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis,
Nec prior Albinam, & Modiam collega salutet?
Divitis heic servi cludit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Vt semel, atq; iterum super illam palpitet: at tu,
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas altâ Chionem deducere sellâ.
Da testem Romæ, tam sanctum, quàm fuit hospes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam:
Protinus ad censum. de moribus ultima fiet
Quæstio: quot pascit servos, quot possidet agri
Jugera, quàm multâ, magnâq; paropside cenat?

Quantum quisq; suâ nummorum servat in arcâ,
Tantum habet & fidei. jures licet & Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atq; Deos, Dijs ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam præbet causasq; jocorum
Omnibus hic idem si fœda, & scissa lacerna,
Si toga sordidula est, & ruptâ calceus alter
Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum,
Atq; recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit. exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit. & sedeant hic
Lenonum pueri quocunq; in fornice nati.
Hic plaudat nitidi Præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesq; lanistæ.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor, atq; puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres?
Quando in consilio est Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migrâsse Quirites.
Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. sed Romæ durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, & frugi cenula magno.
Ficulnis cenare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos, mensamq; Sabellam,
Contentusq; illic Veneto, duroq; cucullo.
Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in quâ

Nemo

Nemo togam sumit, nisi mortuus. ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemq; redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans:
Æqualeis habitus illic, similesq; videbis
Orchestram, & populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.
Hæc ultra vires habitus nitor: hæc aliquid plus,
Quàm satis est, interdum alienâ sumitur arcâ.
Commune id vitium est: hoc vivimus ambitiosâ
Paupertate omnes. quid te moror? omnia Romæ
Cum pretio. quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Vt te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis venalibus. accipe & istud
Fermentum tibi habe, præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelidâ Prænestæ ruinam,
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magnâ parte sui. nam si labentibus obstat
Villicus, & veteris rima contexit hiatum,
Securos dormire jubet pendente ruinâ.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. jam poscit aquam, jam frivola transfert
Vicinus: tabulata tibi jam tertia fumant:
Tu nescis. nam si gradibus trepidatur ab imis:

Vltimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluviâ, molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.
Famq; vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus. quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, & frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoq; juvabit.
Si magna Asturij cecidit domus: horrida mater,
Fullati proceres, differt vadimonia prætor.
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & jam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas. hic nuda, & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,
Hic Asianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit, & forulos, mediamq; Minervam,
Hic modium argenti. meliora, & plura reponit
Persicus arborum lautissimus, & merito jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Sora,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic, puteusq; brevis, nec reste movendus,
In tenueis plantas facili defunditur haustu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti:
Vnde epulum possis centum dare Pythagoreis.

Est aliquid quocunq; loco, quocunq; recessu
Vnius sese dominum fecisse lacertæ.
Plurimus hic æger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti stomacho. nam quæ meritoria somnum
Admittunt? magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso, vitulisq; marinis.
Si vocat officium turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno,
Atq; obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Nanq; facit somnum clausâ lectica fenestrâ.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Turba prior: magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit asseré duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, plantâ mox undiq; magnâ
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ: sequitur sua quenq; culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ sartæ modo, longa coruscat
Sarraco veniente abies, atq; altera pinum
Plaustra vehunt, nutant altæ, populoq; minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Liguslica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem,

Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? obritum vulgi perit omne cadaver
More animæ. domus interea secura patellas
Iam lavat, & buccâ foculum excitat, & sonat unctis
Striglibus, & pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros variè properantur: ab ille
Iam sedet in ripâ, tetrumq; novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis:
Quod spacium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt! quanto percussum pondere signant,
Et lædunt silicem! possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas. adeo tot fata, quod illâ
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.
Ergo opies, votumq; feras miserabile tecum,
Vt sint contentæ patulas defundere pelveis.
Ebrius, ac petulans, qui nullum forte cecîdit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus:
Ergo non aliter poterit dormire, quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis,
Atq; mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum, & æ̈nea lampas.
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispensо, & tempero filum,

Contem-

Contemnit. miseræ cognosce proœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra, starique jubet, parêre necesse est.
Nam quid agas: cum te furiosus cogat, & idem
Fortior? unde venis? exclamat. cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi consistas. in quâ te quæro proseuchâ?
Dicere? si tentes aliquid, tacitúsve recedas,
Tantundem est. feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tantum tamen hæc metuas: nam qui spoliet te
Non dêrit, clausis dominibus postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum & ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pontina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Quâ fornace graves, quâ non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ, & sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub regibus, atque tribunis
Vidêrunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plureis subnectere causas:
Sed jumenta vocant, & Sol inclinat: eundum est.

Nam mihi commotâ jam dudum mulio virgâ
Adnuit: ergo vale nostri memor: & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoq; ad Heluinam Cererem, vestramq; Dianam
Convelle à Cumis: satyrarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

IV.

ECce iterum Crispinus adest. mihi sæpè vocandus
Ad partes. monstrum nullâ virtute redemtum
A vitijs, æger, solâq; libidine fortis,
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quantâ nemorum vectetur in umbrâ,
Fugerâ quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: & tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio, Sejoq; decebat
Crispinum. quid agas, cum dira & fœdior omni
Crimine persona est? mullum sex millibus emit,
Æquantem sanè paribus sestertia libris,
Vt perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi:
Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Nil

Nil tale exspectes: emit sibi. multa videmus,
Quæ miser & frugi non fecit Apicius. hoc tu
Succinctus patriâ quondam Crispine papyro,
Hoc pretio squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quàm piscis emi. provincia tanti
Vendit agros: sed majores Apulia vendit.
Qualeis tunc epulas ipsum glutîsse putemus
Induperatorem: cum tot sestertia, partem
Exiguam, & modicæ sumtam de margine cœnæ
Purpureus magni ructârit scurra Palati,
Jam princeps Equitum, magnâ qui voce solebat,
Vendere muncipes fractâ de merce siluros?
Incipe Calliope, licet hic considere. non est
Cantandum, res vera agitur. narrate puellæ
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.
Cum jam semianimum lacerraret Flavius orbem
Vltimus, & caluo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitq; sinus: neq; enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mœotica, ruptaq; tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidiâ tardos, & longo frigore pingueis.
Destinat hoc monstrum cymbæ liniq; magister
Pontifici summo. quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? cum plena & litora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,

Depastumq; diu vivaria Cæsaris: inde
Elapsum veterem ad dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum, pulcrumq; est æquore toto,
Res fisci est, ubicunq; natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus ægris.
Stridebat deformis hiems, prædamq; recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Vtq; lacus superant, ubi quanquam diruta, servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper,
Et cessit: facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi exspectant admissa opsonia patres.
Itur ad Atreidem, tum Picens, accipe, dixit,
Privatis majora focis, Genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in sæcula rhombum.
Ipse capi voluit. quid apertius? & tamen illi
Surgebant cristæ. nihil est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur Dijs æqua potestas.
Sed dérat pisci patinæ mensura. vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille,
In quorum facie miseræ, magnæq; sedebat
Pallor amicitiæ, primus, clamante Liburno,
Currite, jam sedit, raptâ properabat abollâ
Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atq;
Interpres legum sanctissimus (omnia quanquam

Tempo-

Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitiâ.) venit & Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores qualis facundia, mite
Ingenium. maria, ac terras, populosq; regenti
Quis comes utilior; si clade, & peste sub illâ
Sævitiam damnare, & honestum asserre liceret
Consilium? sed quid violentius aure tyranni?
Cum quo te pluvijs, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici.
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem: nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hiemes, atq; octogesima vidit
Solstitia. his armis, illâ quoq; tutus in aulâ.
Proximus ejusdem properabit Acilius ævi
Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladijstam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus:
Vnde fit, ut malim fraterculus esse Gigantum!
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas Albanâ nudus arenâ
Venator. quis enim jam non intelligit artes
Patricias? quis priscum illud miratur acumen
Brute tuum? facilè est barbato imponere Regi.
Nec melior vultu quamvis ignobilis ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atq; tacendæ,
Et tamen improbior Satyram scribente cinædo.
Montani quoq; venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,

Quan-

Quantum vix redolent duo funera. savior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro:
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmoreâ meditatus prælia villâ:
Et cum mortifero prudens Vejento Catullo,
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ,
Grande, & conspicuum nostro quoq; tempore monstrum,
Cæcus, adulator, dirusq; à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axeis,
Blandaq; devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævum conversus: at illi dextra jacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pægma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento: sed ut fanaticus æstro
Percussus Bellona tuo divinat, & ingens
Omen habes, inquit, magni, clariq; triumphi,
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. peregrina est bellua. cernis
Erectas in terga sudes? hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur censes? concidetur? absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ, subituſq; Prometheus.
Argillam, atq; rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille
Luxuriam imperij veterem, noctesq; Neronis

Jam

Jam mediis, aliamq; famem cum pulmo Falerno
Arderet. nulli major fuit usus edendi
Tempestate meâ. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel adspecti litus decebat echini.
Surgitur, & misso proceres exire jubentur
Concilio: quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos,
Tanquam de Catibis aliquid, torvisq; Sycambris
Dicturus, tanquam ex diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola pinnâ.
Atq; utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ: claras quibus abstulit urbi,
Illustresq; animas impune, & vindice nullo.
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

V.

Sic te propositi nondum pudet, atq; eadem est mens
Vt bona summa putes alienâ vivere quadrâ!
Sic potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset!
Quamvis jurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius. hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo.
Nulla crepido vacat? nusquam pons, & tegetis pars
Dimidiâ brevior? tantine injuria cenæ,
Tam jejuna fames? quin poscis honestius illic

Et

Et tremere, & sordes farris mordêre canini.
Primo sige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imputat hunc Rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. ergo duos post
Si libuit mensis neglectum adhibere clientem,
(Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto)
Vnà simus, ait. votorum summo: quid ultra
Quæris? habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,
Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca Bootæ.
Qualis cena tamen? vinum quod succida nôlit
Lana pati: de convivâ Corybanta videbis.
Jurgia proludunt: sed mox & pocula torques
Saucius, & rubrâ deterges vulnera mappâ:
Inter vos quoties, libertorumq; cohortem
Pugna Saguntinâ fervet commissa lagenâ:
Ipse capillato diffusum Consule potat,
Calcataq; tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumq; senectus
Delevit multâ veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thraseæ, Heluidiusq; bibebant,
Brutorum, & Cassi natalibus. ipse capaces
Heliadum crustas, & inæqualeis berillos
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum.

Vel si quando datur: custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungueis observet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur jaspis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transferi
A digitis: quas in vaginæ fronte solebat
Ponere Zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem naforum quattuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem fulfura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoq, ciboq,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem poni vobis modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nôlis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus,
Quam fuit & Tulli census pugnacis, & Anci:
Et te ne teneam, Romanorum omnia Regum
Frivola. quod cum ita sit, tu Gætulum Ganymedem
Respice, cum sities. nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calida, gelidæq, minister?
Quippe indignatur veteri parêre clienti,
Quodq, aliquid poscas, & quod se stante recumbas.
Maxima quæq, domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,

Quæ

Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
Sed tener, & niveus, molliq; siligine factus
Servatur domino. dextram cohibere memento.
Salva sit artocopi reverentia. finge tamen te
Improbulum, super est illic, qui ponere cogat.
Vin' tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisq; tui noviſſe colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod sæpe relictâ
Conjuge, per montem adversum, gelidasq; cucurri
Esquilias, fremeret sævâ cum grandine vernus
Juppiter, & multo stillaret pœnula nimbo.
Adspice quàm longo distinguat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla, & quibus undiq; septa
Asparagis, quâ despiciat convivia caudâ,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus adfertur misero tibi caulis, olebit
Laternam. illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prorâ subvexit acutâ:
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lavatur,
Quod tutos etjam facit à serpentibus atris.
Mullus erit domini, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et jam defecit nostrum mare dum gula sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc

Quod

Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum se continet Auster,
Dum sedet & siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloacâ,
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburæ:
Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Senecâ, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri: namq; & titulis, & fascibus olim
Major habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, ut cenes civiliter. hoc face, & esto:
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Spumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cenas
Majores: tibi habe frumentum Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & cheironomonta volanti
Cultello donec peragat dictata magistri
Omnia. nec minimo sanè discrimine refert
Quo gestu lepores, & quo Gallina secetur.
Ducêris plantâ velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponêre foris, si quid tentaveris unquam

Hiscere, tanquam habeas tria nomina, quando propinat
Virro tibi, sumitq; tuis contacta labellis
Pocula? qui vestrum temerarius usq; adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, bibe? plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusâ dicere lænâ.
Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dijs
Et melior fatis donaret; homuncio quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium. vis, frater, ab ipsis
Ilibus? ô nummi, vobis hunc præstat honorem,
Vos estis fratres. dominus tamen, & domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aulâ
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo.
Jucundum, & carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mygale pariat licet, & pueros trei
In gremium patris fundat simul, ipse loquaci
Gaudebit nido: viridem thorâca jubebit
Adferri, ninimasq; nuces, assemq; rogatum,
Ac mensam, quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: sed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascâris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parmâ, & galeâ, metuensq; flagelli
Discit ab hirsutâ jaculum torquêre capellâ.

Forsitan

Forsitan inpensæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas, nam quæ comœdia, mimus
Quis melior, plorante gulâ? ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrumas effundere bilem
Cogaris, pressoq; diu stridere molari.
Tu tibi liber homo, & regis conviva videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec malè conjectat. quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro?
Spes benè cenandi vos decipit. ecce dabit jam
Semesum leporem, atq; aliquid de clunibus apri,
Ad nos tam veniet minor altilis: inde parato,
Intactoq; omnes, & stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. omnia ferre
Si potes, & debes, pulsandum vertice raso
Præbebis quandoq; caput, nec dura timebis
Flagra pati. his epulis, & tali dignus amico.

IVN. IVVENALIS SATYR.

LIB. II.

VI.

CRedo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, visamq; diu: cum frigida parvas
Preberet spelunca domos, ignemq;, laremq;,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbrâ:
Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumq; ferarum

Pellibus: haud similis tibi Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cæloq; recenti,
Vivebant homines: qui rupto robore nati,
Compositive luto nullos habuêre parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterint & sub Jove, sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus, & pomis, & aperto viveret horto.
Paullatim deinde ad superos Astrea recessit
Hâc comite, atq; duæ pariter fugêre sorores.
Antiquum & vetus est alienum Posthume lectum
Concutere, atq; sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.
Viderunt primos argentea secula mœchos.
Conventum tamen, & pactum, & sponsalia, nostrâ
Tempestate paras, jamq; à tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.
Certè sanus eras. uxorem Posthume ducis?
Dic quâ Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam?
Cum pateant altæ, caliganteſq; fenestræ?
Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit,
Pusio qui noctu non litigat: exigit à te

Nulla

Nulla jacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec, quantum jusſit, anheles.
Sed placet Vrſidio lex Julia: tollere dulcem
Cogitat heredem. caritarus turture magno,
Mullorumq; jubis, & captatore macello.
Quid fieri non poſſe putes, ſi jungitur ulla
Vrſidio? ſi mœchorum notiſſimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capiſtro,
Quem toties texit perituri ciſta Latini?
Quid, quod & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? ô medici mediam pertundite venam.
Delicias hominis! Tarpejum limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oſcula. nectle coronam
Poſtibus, & denſos per limina tende corymbos.
Vnus Iberinæ vir ſufficit? ocyus illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta ſit uno.
Magna tamen fama eſt cujusdam rure paterno
Viventis: vivat Gabijs, ut vixit in agro:
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo ſenuerunt Juppiter & Mars?
Porticibuſne tibi monſtratur femina voto
Digna tuo? cuneis an habent ſpectacula totis
Quod ſecurus ames, quodq; inde excerpere poſſis?
Cheironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo
Tuccia veſicæ non imperat: Apula gannit,

Sicut in amplexu. ſubitum, & miſerabile longum
Attendit Thymele. Thymele tunc ruſtica diſcit.
Aſt aliæ, quoties aulæa recondita ceſſant,
Et vacuo, clauſoq; ſonant fora ſola theatro,
Atq; à plebeis longè Megaleſia, triſtes
Perſonam, thyrſumq; tenent, & ſubligar Accî.
Vrbicus exodio riſum movet Attellanæ
Geſtibus Autonoës: hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno comœdi fibula: ſunt quæ
Chryſogonum cantare velent: Hiſpulla tragœdo
Gaudet. an exſpectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de quâ citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambroſiuſq; choraules.
Longa per anguſtos figamus pulpita vicos,
Ornentur poſtes, & grandi janua lauro,
Vt teſtudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum myrmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludium
Ad Pharon, & Nilum, famoſaq; mœnia Lagi,
Prodigia & mores urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, & conjugis, atq; ſororis,
Nil patriæ indulſit, ploranteiſq; improba gnatos,
Vtq; magis ſtupeas, ludos, Paridemq; reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumâq; paternâ,
Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis,
Contemſit pelagus: famam contemſerat olim,
Cujus apud mollis minima eſt jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latèq; ſonantem
Pertulit Jonium conſtanti pectore, quamvis

Mutan-

Mutandum toties esset mare. justa pericli
Si ratio est, & honesta timent, pavidoq; gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum est conscendere navim;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aër:
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. illa maritum
Convomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppem, & duros gaudet tractare rudentes.
Quâ tamen exarsit formâ, quâ capta juventâ
Hippia? quid vidit, propter quod ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus jam radere gutur
Cœperat, & secto requiem sperare lacerto.
Preterea multa in facie deformia; sicut
Attritus galeâ, mediisq; in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris, patriæq;, hoc prætulit illa sorori,
Atq; viro. ferrum est, quod amant. hic Sergius idem
Acceptâ rude cœpisset Vejento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia curas?
Respice rivales Divorum: Claudius audi
Quæ tulerit. dormire virum cum senserat uxor,
(Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos)
Linquebat, comite ancillâ non amplius unâ:
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atq; suam. tunc nuda papillis

Prostitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostenditq; tuum generose Britannice ventrem,
Excepit blanda intrantes atq; æra popposcit:
Mox, lenone suas jam dimittente puellas,
Tristis abit: sed, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et resupina jacens multorum absorbuit ictus,
Et lassata viris, necdum satiata recessit,
Obscurisq; genis turpis, fumoq; lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem
Hippomanes, carmemq; loquar, coctumq; venenum,
Privignoq; datum? faciunt graviora coactæ
Imperio sexus, minimumq; libidine peccant.
Optima sed quare Censennia teste marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam,
Nec pharetris Veneris macer est, aut lampade fervet:
Inde faces ardent, veniunt à dote sagittæ.
Libertas emitur: coram licet innuat, atq;
Rescribat, vidua est, locuples quæ nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculiq; minores:
Collige sarcinulas dicet liberius, & exi,
Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi
Ocyus, & propera: sicco venit altero naso.
Interea calet, & regnat, poscitq; maritum
Pastores, & ovem Canusinam, ulmosq; Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omneis, ergastula tota,

Quodq;

Quodq; domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quo jam mercator Jason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina, deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ:
Rara avis in terris, nigroq; simillima cycno.
Quis feret uxorem cui constant omnia? mâlo,
Mâlo Venusinam, quàm te Cornelia mater
Graccorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum precor Hannibalem, victumq; Syphacem
In castris, & cum totâ Carthagine migra.
Parce, precor, Pæan, & tu depone sagittas,
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum, ipsumq; parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atq; eadem scrofâ Niobe fecundior albâ.
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi semper
Imputet? hujus enim rari summiq; voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo

Plus aloës quàm mellis habet. quis deditus autem
Vsq; adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inq; diem septenis oderit horis?
Quædam parva quidem, sed non toleranda maritis,
Nam quid rancidius, quàm quod se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Tuscâ Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Ceropis? omnia Græcè,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latinè.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. quid ultra?
Concunbunt Græcè. dones tamen ista puellis:
Tune etiam, quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græcè? non est hic sermo pudicus
In vetulâ, quoties lascivum intervenit illud
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ. *modo sub lodice relictis*
Veteris in turbâ. quod enim non excitet inguen
Vox blanda, & nequam? digitos habet. ut tamen omnes
Subsidant pinnæ, dicas hæc mollius Æmo
Quanquam & Carpophoro, facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam, junctamq; tabellis
Non es amaturus: ducendi nulla videtur
Caussa: nec est, quare cenam, & mustacea perdas
Labente officio, crudis donanda: nec illud,
Quod primâ pro nocte datur, cum lance beatâ
Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus: summitte caput cervice paratâ
Ferre jugum: nullam juvenes, quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,

Et

Et spolijs. igitur longè minus utilis illi
Vxor, quisquis erit bonus, optandusq; maritus.
Nil unquam invitâ donabis conjuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, hæc si nolet, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.
Testandi cum sit lenonibus atq; lanistis
Libertas, & juris idem contingat arenæ,
Non unus tibi rivalis dictabitur heres.
Pone crucem servo. meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O domens! ita servus homo est? nil fecerit, esto.
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro: sed mox hæc regna relinquit
Permutatq; domos, & flamea conterit: inde
Advolat, & spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virideis in limine ramos.
Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti,
Quinq; per autumnos: titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salvâ concordia socru.
Illa docet spolijs nudi gaudere mariti:
Illa docet, missis à corruptore tabellis
Nil rude, nil simplex rescribere: decipit illa
Custodes, aut ære domat: tunc corpore sano
Arvocat Archigenem, onerosaq; pallia jactat.
Abditus interea latet, & secretus adulter,
Impatiensq; moræ silet, & præputia ducit.

Scilicet

Scilicet exſpectas, ut tradat mater honeſtos,
Atq; alios mores, quàm quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla ferè cauſſa eſt, in quâ non femina litem
Moverit. accuſat Manilia, ſi rea non eſt.
Componunt ipſæ per ſe, formantq; libellos,
Principium, atq; locos Celſo dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis neſcit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutoq; laceßit,
Atq; omneis implet numeros. digniſſima prorſus
Florali matrona tubâ. niſi ſi quid in illo
Pectore plus agitat, veræq; paratur arenæ.
Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?
Quæ fugit à ſexu, vires amat: hæc tamen ipſa
Vir nollet fieri. nam quantula noſtra voluptas!
Quale decus rerum, ſi conjugis auctio fiat,
Balteus, & manicæ, & criſtæ, cruriſq; ſiniſtri
Dimidium tegmen: vel ſi diverſa movebit
Prœlia, tu felix ocreas vendente puellâ.
Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit,
Adſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta
Poplitibus ſedeat, quàm denſo faſcia libro,
Et ride, ſcaphium poſitis cum ſumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cæcive Metelli,
Gurgitis aut Fabij, quæ ludia ſumſerit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Aſyli?

Sem-

Semper habet liteis, alternaq; jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.
Tum gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor,
Cum simulat gemitus occulti conscia facti.
Aut odit pueros, aut fictâ pellice plorat
Uberibus semper lacrymis, semperq; paratis
In statione suâ, atq; exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumq; labellis.
Absorbes, quæ scripta, & quas lectare tabellas
Si tibi Zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!
Sed jacet in servi complexibus, aut Equitis dic,
Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.
Hæremus. dic ipsa. olim convenerat, inquit,
Vt faceres tu quod velles: nec non ego possem
Indulgere mihi. clames licet, & mare cælo
Confundas, homo sum. nihil est audacius illis
Deprensis: iram atq; animos à crimine sumunt.
Vnde hæc monstra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitijs contingi parva sinebant
Tecta labor, somniq; breves, & vellere Tusco
Vexatæ, duræq; manus, ac proximus urbi
Hannibal, & stantes Collinâ in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis
Luxuria incubuit, victumq; ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perît: hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colleis: hinc & Rhodos, & Miletos

Atq;

Atq; coronatum, & petulans, madidumq; Tarentum.
Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. quid enim Venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ sint discrimina, nescit.
Grandia quæ medijs jam noctibus ostrea mordet,
Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis:
I nunc & dubita, quâ sorbeat aera sannâ
Tullia, quod dicat notæ Collacia Mauræ,
Maura pudicitiæ veterem cum præterit aram.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemq; Deæ longis siphonibus implent,
Inq; vices equitant, ac Lunâ teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas luce reversâ
Conjugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter, vinoq; feruntur
Attonitæ, crinemq; rotant, ululantq; Priapi
Mænades. ô quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas positâ Saufeja coronâ
Provocat, ac tollit pendentis præmia coxæ:
Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo

Laome-

Laomedontiades, & Neſtoris hernia poſſit.
Tunc prurigo moræ impatiens, tunc femina ſimplex,
Et pariter toto repetitur clamor ab antro:
Jam fas eſt: admitte viros. jam dormit adulter?
Illa jubet ſumto juvenem properare cucullo.
Si nihil eſt, ſervis incurritur. abſtuleris ſpem
Servorum, veniet conductus aquarius. hic ſi
Quæritur, & deſunt homines: mora nulla per ipſam
Quo minus impoſito clunem ſubmittat aſello.
Atq; utinam ritus veteres, & publica ſaltem
His intacta malis agerentur ſacra: ſed omnes
Noverunt Mauri, atq; Indi, quæ pſaltria penem
Majorem, quàm ſunt duo Cæſaris Anticatones
Illuc, teſticuli ſibi conſcius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur,
Quæcunq; alterius ſexus imitata figuram eſt.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Sympullum ridere Numæ, nigrumq; catinum,
Et Vaticano fragileis de monte patellas
Auſus erat? ſed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone ſeram: cohibe. ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? cauta eſt, & ab illis incipit uxor.
Jamq; eadem ſummis pariter minimiſq; libido:
Nec melior ſilicem pedibus quæ conterit atrum
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Vt ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,
Conducit comites, ſellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam,

Hæc

Hæc tamen argenti superest quodcunq; paterni
Lævibus athletis, ac vasa noviſſima donat.
Multis res anguſta domi: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec nec ſe metitur ad illum,
Quem dedit hæc, poſuitq; modum. tamen utile quid ſit
Proſpiciunt aliquandò viri: friguſq;, famemq;
Formicâ tandem quidam expavére magiſtrâ.
Prodiga non ſentit pereuntem femina cenſum:
At, velut exhauſtâ redivivus pullulet arcâ
Numus, & è pleno tollatur ſemper acervo
Non unquam reputant, quanti ſibi gaudia conſtent.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quod abartivo non eſt opus. illa voluptas
Summa tamen, quod jam calidâ matura juventâ
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo exſpectatos, ac juſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam cæperunt eſſe bilibres
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conſpicuus longe, cunctiſq; notabilis intrat
Balnea, nec dubiè cuſtodem vitis, & horti
Provocat, à dominâ factus ſpado. dormiat ille
Cum dominâ. ſed tu jam durum, Poſthume, jamq;
Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu: nullius fibula durat,
Vocem vendentis Prætoribus: organa ſemper
In manibus: denſi radiant teſtudine totâ
Sardonyches: criſpo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit: hunc tenet, hoc ſe

Solatur

Solatur, gratoq; indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti
Et farre, & vino Janum, Vestamq; rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro citharâ velare caput, dictataq; verba
Protulit, ut mos est, & apertâ palluit agnâ.
Dic mihi nunc, quæso, dic antiquissime Divûm,
Respondes his Jane pater? magna otia cæli,
Non est, ut video, non est quod agatur apud vos.
Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum
Commendare volet, varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quàm totam pervolet urbem
Audax, & cœtus possit perferre virorum,
Cumq; paludatis Ducibus, præsente marito,
Ipsi loqua rectâ facie, strictisq; mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant: secreta noverca,
Et pueri: quis amet, quis decipiatur adulter.
Dicet quis viduam prægnantem fecerit, & quo
Mense: quibus verbis concumbat quæq;, modis quot.
Instantem Regi Armenio, Parthoq; cometem
Prima videt: famam, rumoresq; illa recenteis
Excipit ad portas: quosdam facit esse Niphatem
In populos, magnoq; illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, subsidere terras,
Quocunq; in trivio, cuicunq; est obvia narrat.

Nec tamen id vitium magis intolerabile, quàm quòd
Vicinos humiles rapere, & concidere locis
Exorata solet. nam si latratibus alti
Rumpuntur somni: fustes hoc ocyus, inquit,
Adferte, atq; illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem: gravis occursu, teterrimo vultu.
Balnea nocte subit: cauchas, & castra moveri
Nocte jubet: magno gaudet sudare tumultu,
Cum lassata gravi cecidérunt brachia massâ,
Callidus & cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coëgit:
Convivæ miseri interea somnoq;, fameq;
Vrgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophoron sitiens, plenâ quod tenditur unâ
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & loto terram ferit intestino.
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo marinus
Nauseat atq; oculis bilem substringit apertis.
Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atq; aliâ parte in trutinâ suspendit Homerum.
Cedunt gramatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,
Tot paritsr pelves, tot tintinnabula dicas

Pulsa-

Pulsari. jam nemo tubas, nemo æra fatiget
Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.
Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit & facunda videri
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Silvano procum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omneis.
Sed quædam ex libris & non intelligat. odi
Hanc ego, quæ repetit, volutq; Palæmonis artem,
Servatâ semper lege, & ratione loquendi,
Ignotosq; mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ
Verba. solœcismum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier sibi: turpe putat nil,
Cum virideis gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nil est, quàm femina dives.
Interea fœda adspectu, ridendaq; multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppeana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lotâ cute. quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atq; illo tunc lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Sed quæ mutatis inducitur, atq; fovetur
Tot medicaminibus, coctæq; sigilinis offas
Accipit, & madidæ facies dicetur, an ulcus?
Est operæ pretium penitus cognoscere toto
Quid faciant, agitentq; die, si nocte maritus
Aversus jacuit: perijt libraria, ponunt
Cosmetæ tunicas, tardè venisse Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere somni
Cogitur. hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
Hic scuticâ. sunt quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atq; obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædit; longi relegit transversa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, exi
Intonet horrendùm, jam cognitione peractâ,
Præfectura domus Siculâ non mitior aulâ.
Nam si constituit, solitoq; decentiùs optat
Ornari, & properat, jamq; exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ:
Disponit crinem laceratis ipsa capillis,
Nuda humero Psecas infelix, nudisq; mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusq; capillis.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus? altera lævam
Extendit, pectitq; comas, & voluit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaq; lanis
Emeritâ quæ cessat acu: sententia prima
Hujus erit: post hanc ætate, atq; arte minores

Cense-

Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen à fronte videbis:
Post minor est: credas aliam. cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorq; videtur
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta cothurnis,
Et levis erectâ consurgit ad oscula plantâ.
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina mariti,
Hoc solo propior, quod amicos conjugis odit,
Et servos, gravis est rationibus. ecce furentis
Bellonæ, matrisq; Deum chorus intrat & ingens
Semitur, obsceno facies reverenda minori,
Mollia qui raptâ secuit genitalia testâ,
Jam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeja, & Phrygiâ vestitur bucca tiarâ,
Grande sonat, metuiq; jubet Septembris, & Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Vt quidquid subiti, & magni discriminis instat,
In tunicas eat, & totum semel expiet annum.
Hibernum fractâ glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde superbi
Totum regis agrum nuda, ac temebunda cruentis
Erepet genibus si candida jusserit Jo:
Ibit ad Ægypti finem, calidâq; petitas
A Meroë portabit aquas, ut spargat in ædem

Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius dominæ se voce moneri.
En animam, & mentem, cum quâ Dij nocte loquantur!
Ergo hic præcipuum summumq; meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris, observandisq; diebus,
Magnaq; debetur violato pœna cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens
Illius lacrumis, meditataq; murmura præstant,
Vt veniam culpæ non abnuat. ansere magno
Scilicet, & tenui popano corruptus Osiris.
Cum dedit ille locum: cophino, fenoq; relicto,
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia cæli.
Implet & illa manum, sed parciùs ære minuto.
Qualiacunq; voles Judæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato Armenius, vel Commagenus haruspex:
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipse.
Chaldæis sed major erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credent à fonte relatum
Hammonis: quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exul;

Cujus

Cujus amicitiâ, conducendâq; tabellâ
Magnus civis obît, & formidatus Othoni.
Inde fides artis, sonuit si dextera ferro,
Lævaq; si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus Genium indemnatus habebit:
Sed qui pænè perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parvâ tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat, & patruos: an sit victurus adulter
Post ipsam. quid enim majus dare Numina possunt?
Hæc tamen ignorat quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum consulit, & jam
Consulitur: quæ castra viro, patriamq; petente
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, horas
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus inspectâ geneſi collyria poscit.
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosyris.
Si mediocris erit: spatium lustrabit utrumq;
Metarum, & sortis ducet, frontemq;, manumq;
Præbebit vati crebrum popysma roganti.
Divitibus responsa dabit Phryx augur, & inde
Conductus, dabit astrorum, mundiq; peritus,

Atq; aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante Phalas, delphinorumq; columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto.
Hæ tamen & partus subeunt discrimen, & omneis
Nutricis tolerant fortunâ urgente labores;
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ sterileis facit, atq; homines in ventre necandos
Conducit. gaude infelix, atq; ipse bibendum
Porrige quidquid erit: nam si distendere vellet,
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater: mox decolor heres
Impleret tabulas. nunquam tibi manè videndus.
Transeo suppositos, & gaudia, votaq; sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atq; inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falsò
Corpore laturos. stat Fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus. hos fovet omneis,
Involuitq; sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumq; sibi mimum parat. hos amat, his se
Ingerit, utq; suos ridens producit alumnos.
Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,
Et soleâ pulsare nates. quod despis, inde est,
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti. tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias; ut avunculus ille Neronis,

Cui

Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. quæ non faciet, quod principis uxor?
Ardebant cuncta, & fractâ compage ruebant,
Non aliter, quàm si fecisset Juno maritum
Insanum. minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumq; caput descendere jussit
In cælum, & longâ manantia labra salivâ.
Hæc poscit ferrum, atq; igneis, hæc potio torquet:
Hæc laceret mixtos equitum cum sanguine patres.
Tanti partus equæ, quanti una venefica constat!
Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet: jam jam privignum occidere fas est.
Vos ego pupilli moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis: quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus præguslet pocula papas.
Fingimus hæc, alium satyrâ sumente cothurnum
Scilicet, & finem egressi legemq; priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu
Motibus ignotum Rutulis, cæloq; Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, pueriq; meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent. facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos unâ sævissima vipera cenâ?
Tune duos? septem, septem si fortè fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide torvâ
Dicitur, & Procne. nil contra conor. & illæ

Grandia monstra suis audebant temporibus: sed
Non propter nummos. minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoq; latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens
Sana facit. spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, & similis si permutatio detur
Morte viri, cupiant animam servare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides, atq; Eriphylæ:
Manè Clytemnæstram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam & fatuam dextrâ levâq; tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.
Sed tamen & ferro, si prægustabit Atreides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

IVN. IVVENALIS SATYR.

LIB. III.

VII.

ET spes, & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristeis hâc tempestate Camenas
Respexit, cum jam noti celebresq; poëtæ
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos
Tentarent: nec fœdum alij, nec turpe putarent
Præcones fieri, cum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clejo.

Nam

Nam, si Pieriâ quadrans tibi nullus in arcâ
Ostendatur, ames nomen victumq; Macharæ,
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus: œnophorum, tripodes, armaria, cistas,
Alcionem Bacchi, Thebas & Terea Fausti.
Hoc satiùs, quàm si dicas sub Judice, vidi,
Quod non vidisti. faciant equites Asiani
Quanquam, & Cappadoces faciant, equitesq; Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studijs indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunq; canoris
Eloquium vocale modis, Laurumq; momordit.
Hoc agite ó juvenes: circumspicit & stimulat vos,
Materiamq; sibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atq; ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur: lignorum aliquid posce ocyùs, & qua
Componis, dona Veneris, Telesine, marito:
Aut clude, & positos tineâ pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataq; prœlia dele,
Qui facis in parvâ sublimia carmina cellâ,
Vt dignus venias ederis, & imagine macrâ.
Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Vt pueri Junonis avem. sed defluit ætas
Et pelagi patiens, & cassidis, atq; ligonis.
Tedia tunc subeunt animos, tunc seq;, suamq;
Terpsichoren odit facunda, & nuda senectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste

Quem

Quem colit, & musarum, & Apollinis ædè relictâ
Ipse facit versus, atq; uni cedit Homero
Propter mille annos. &, si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonus commodat ædes;
Hæc longè ferrata domus servire jubetur,
In quâ sollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extremâ in parte sedenteis
Ordinis, & magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæq; reportandis posita est orchestra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuiq; in pulvere sulcos
Ducimus, & litus sterili versamus aratro.
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insabile multos
Scribendi Cacoëthes, & ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen trivale monetâ,
Hunc, qualem nequeo monstrare, & sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus silvarum, aptusq; bibendis
Fontibus Aonidum: neq; enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana
Paupertas, atq; æris inops, quo nocte, dieq;
Corpus eget. satur est, cum dicit Horatius, Euhoe.
Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant, & dominis Cirrhæ, Nysæq; feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?

Magnæ

Magnæ mentis opus, nec de lodice parandâ
Attonitæ, currus, & equos, faciesq; Deorum
Adspicere, & qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer, & tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos, & lenam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor quod mittat amico:
Quintillæ quod donet, habet: nec defuit illi,
Vnde emeret multâ pascendum carne leonem
Jam domitum: constat leviori bellua sumtu
Nimirum, & capiunt plus intestina poëtæ.
Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano, tenuiq; Salejo
Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam cum fecit Statius urbem,
Promisitq; diem: tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantâq; libidine vulgi
Auditur: sed cum fregit subsellia versu
Esurit intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopeja facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculejus.

Aut

Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: nunc utile multis
Pallere, & toto vinum nescire Decembri.
Vester porro labor fecundior historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis atq; olei plus.
Namq; oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus jubet, atq; operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod tecto gaudet, & umbrâ.
Dic igitur quid cassidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant: sed tunc cum creditor audit
Præcipuè, vel, si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturq; sinus. veram deprendere messem
Si libet: hinc centum patrimonia cassidicorum,
Parte aliâ solum Russati pone Lacertæ.
Consedêre Duces: surgis tu pallidus Ajax
Dicturus dubiâ pro libertate bubulco
Judice. rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod voces pretium? siccus petasunculus, & vas
Pelamydum: aut veteres Maurorum epimenia bulbi:
Aut vinum Tiberi devectum, quinq; lagenæ,
Si quater egisti. si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum

Æmilio

Æmilio dabitur, quantum petet, & melius nos
Egimus: hujus enim stat currus aëneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atq; ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, & statuâ meditatur prœlia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet, & vexat lutulentâ balnea turbâ,
Perq; forum juvenes longo premit assere Medos
Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stillataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, & facie majoris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.
Vt redeant Veteres Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.
Respicit hoc primum, qui li igat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. ideo conductâ Paullus agebat
Sardonyche, atq; ideo pluris, quàm Gallus agebat,
Quàm Basilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem imponere linguæ.
Declamare doces, ô ferrea pectora Vetti,
Cum perimat sævos classis numerosa tyrannos.
Nam quæcunq; sedens modo legerat, hæc eadem stans

Profe-

Proferet, atq; eadem cantabit versibus ijsdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, & quod sit caussæ genus, atq; ubi summa
Quæstio, quæ veniant diversâ parte sagittæ,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? culpa docentis
Scilicet arguitur, quod lævâ in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sextâ
Quâq; die miserum dirus caput Hannibal implet.
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis, an post nimbos, & fulmina cautus
Circumagat madidas à tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, & protinus accipe, quid do
Ut totiens illum pater audiat. hæc alij sex
Vel plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto,
Fusa venena silent, malus, ingratusq; maritus,
Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, & vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetoricâ descendit ab umbrâ
Summula ne pereat, quâ vilis tessera venit
Frumenti. quippe hæc merces lautissima. tenta
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, & pluris porticus, in quâ
Gestetur dominus, quoties pluit. anne serenum
Exspectet, spargatq; luto jumenta recenti?
Hoc potius: nam hoc mundæ nitet ungula mulæ.

Parte

Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cenatio Solem.
Quanticunq; domus, veniet qui fercula doctè
Componat, veniet qui pulmentaria condit.
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Vt multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quàm filius. unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla novorum
Fatorum transi: felix, & pulcer, & acer:
Felix, & sapiens, & nobilis & generosus
Adpositam nigræ Lunam subtexet alutæ:
Felix, orator quoq; maximus, & jaculator.
Et si perfrixit, cantat bene. distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de consule rhetor,
Si volet hæc eadem, fies de rhetore consul.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen, corvo quoq; rarior albo.
Pœnituit multos vanæ, sterilisq; cathedræ,
Sicut Thrasymachi probat exitus, atq; Secundi
Carinatis, & hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
Dij majorum umbris tenuem, & sine pondere terram,
Spiranteisq; crocos, & in urnâ perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluêre parentis
Esse loco. metuens virgæ jam grandis Achilles

Cantabat patrijs in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum, atq; alios cædit sua quæq; juventus:
Rufum qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi doctiq; Palæmonis adfert
Quantum grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc,
Quodcunq; est (minus est autem, quàm rhetoris æra)
Discipuli custos præmordet Accenonetus,
Et, qui dispensat, frangat sibi. cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere: non aliter, quàm
Institor hibernæ tegetis, niveiq; cadurci:
Dum modo non pereat, mediæ quod noctis ab horâ
Sedisti, quâ nemo faber, quâ nemo sederet
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dum modo non pereat totidem olfeciſſe lucernas,
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat. sed vos sævas imponite leges
Vt præceptori verborum regula consſet,
Vt legat historias, auctores noverit omneis,
Tanquam ungueis, digitosq; suos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamq; novercæ
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
Vt si quis cerâ vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,

Ne

Ne faciant vicibus. non est leve tot puerorum
Observare manus, oculosq; in fine trementeis.
Hæc, inquit, cures, & cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

VIII.

STemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios nasumq; minorem
Corvini, & Galbam auriculis, nasoq; carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, posthac multâ contingere virgâ
Fumosos equitum cum Dictatore magistros,
Si coràm Lepidus malè vivitur? effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox?
Ante Numantinos si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa Duces, & castra movebant.
Cur Allobrogicis, & magnâ gaudeat arâ
Natus in Herculeo Fabius Lare, si cupidus, si
Vanus, & Euganeâ quantumvis mollior agnâ:
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalenteis traducit avos, emptorq; veneni
Frangendâ miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atq; unica, virtus.
Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi te Consule virgas:

Prima mihi debes animi bona. sanctus haberi,
Iustitiæq; tenax factis dictisq; mereris:
Agnosco procerem. salve Getulice, seu tu
Silanus, quocunq; alio de sanguine, rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet populus quod clamat Osiri
Invento. quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? nanum cujusdam Atlanta vocamus:
Æthiopem cycnum: parvam extortamq; puellam
Europen, canibus pigris scabieq; vetustâ
Lævibus, & ficcæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo Rubelli
Blande. tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Vt te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Ceropides. vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras. tamen imâ in plebe Quiritem
Facundum juvenes. solet hic defendere causas
Nobilis indocti. veniet de plebe togatâ,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphraten juvenis, domitiq; Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu

Nil

Nil nisi Cecropides, truncoq; simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine quàm quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exsultat rauco victoria circo.
Nobilis hic, quocunq; venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Sed venale pecus Corythæ posteritas, &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit,
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretijs mutare jubentur
Exiguis, trito ducunt epiredia collo
Segnipedes, digniq; molam versare Nepotis.
Ergo, ut miremur te, non tua, primum aliquid da
Quod possim titulis incidere, præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumq; Nerone propinquo.
Rarus enim fermè sensus communis in illâ
Fortunâ. sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic, ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ.
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis,
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. ambiguæ si quando citabere testis
Incertæq; rei, Phalaris licet imperet, ut sis

Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causſas.
Dignus morte perit, cenet licet oſtrea centum
Gaurana, & coſmi toto mergatur aëno.
Exſpectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiat, pone iræ frena, modumq;,
Pone & avaritiæ: miſerére inopum ſociorum.
Oſſa vides regum vacuis exucta medullis.
Reſpice quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine juſto
Et Capito, & Numitor ruerint damnante Senato
Peiratæ Cilicum! ſed quid damnatio confert,
Cum Panſa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem Chærippe tuis circumſpice pannis,
Famq; tace. Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neq; vulnus erat par
Damnorum, ſocijs florentibus, & modo victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa;
Et cum Parrhaſij tabulis ſigniſq; Myronis
Pheidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multis ubiq; labor; raræ ſine Mentore menſæ.
Inde Dolabella eſt, atq; hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres, referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plureis de pace triumphos.
Nunc ſocijs juga pouca boum, grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello:
Ipſi deinde Lares, & quod ſpectabile ſignum,

Si

Si quis in ædiculâ Deus unicus. hæc etenim sunt
Pro summis, nam sunt hæc maxima. despicias tu
Forsitan imbelleis Rhodios, unctamq; Corinthum:
Despicias merito. quid resinata juventus,
Cruraq; totius facient tibi lævia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumq; latus. parce & messoribus illis,
Qui saturant urbem, Circo, scenæq; vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum imprimis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miseris. tollas licet omne quod usquam est
Auri, atq; argenti scutum, gladiumq; relinques,
Et jaculum & galeam. spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui non est sententia; verùm
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno:
Tunc licet à Fico numeres genus, altaq; si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipsumq; Promethea ponas.
De quocunq; voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitio, atq; libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis,

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto, major, qui peccat, habetur.
Quò mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis, quæ fecit avus, ſtatuamq; parentis
Ante triumphalem? quò, ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atq; oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus, & ipſe,
Ipſe rotam adſtringit multo ſuffflamine Conſul:
Nocte quidem: ſed Luna videt, ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos. finitum tempus honoris
Cum fuerit, clarâ Damaſippus luce flagellum
Sumet, & occurſum nunquam trepidabit amici
Jam ſenis, ac virgâ prior annuet, atq; maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea laſſis.
Interea, dum lanatas, torvumq; juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Solam Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.
Sed cum pervigiles placet inſtaurare popinas:
Obvius aſſiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumæa Syrophœnix incola portæ,
Hoſpitis affectu dominum, Regemq; ſalutat,
Et cum venali Cyane ſuccincta lagenâ.
Defenſor culpæ dicet mihi, fecimus & nos
Hæc juvenes. eſto: deſiſti nempe, nec ultra
Foviſti errorem. breve ſit, quod turpiter audes.
Quædam cum primâ reſecentur crimina barbâ.
Indulge veniam pueris. Damaſippus ad illos
Thermarum calices, inſcriptaq; lintea vadit

Maturus

Maturus bello Armeniæ, Syriæq; tuendis
Amnibus, & Rheno, atq; Istro. præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. mitte ostia Cæsar,
Mitte: sed in magnâ legatum quære popinâ.
Juvenies aliquo cum percussore jacentem,
Permissum nautis, & furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices, & fabros scandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Æqua ubi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas.
At vos Trojugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volusos, Brutumq; decebunt.
Quid, si nunquam adeo fœdis, adeoq; pudendis
Vtimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumptis opibus vocem Damasippe locâsti
Sipario, clamosum ageres ut phasma Catulli.
Laureolum Velox etjam hanc Lentulus egit.
Judice me, dignus verâ cruce. nec tamen ipse
Ignoscas populo: populi frons durior hujus,
Qui sedet, & spectat triscurria patriciorum:
Planipedes audit Fabios, videre potest qui
Mamercorum alapas. quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atq; hinc pulpita pone:
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?

Res haud mira tamen, citharœdo Principe mimus
Nobilis. hæc ultra, quid erit nisi ludus? & illic
Dedecus urbis habes, nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Graccum pugnantem, aut falce supinâ,
(Damnat enim talèis habitus, & damnat, & odit)
Nec galeâ faciem abscondit, movet ecce tridentem,
Postquam libratâ pendentia retia dextrâ
Nequiquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & totâ fugit agnoscendus arenâ.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat & longo jactetur spira Galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Gracco jussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni,
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus?
Par Agamemnonidæ crimen: sed causa facit rem
Dissimilem. quippe ille Deis auctoribus ultor
Patris erat cæsi media inter pocula: sed nec
Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scenâ nunquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit. quid enim Virginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galbâ?
Quid Nero tam sævâ, crudâq; tyrannide fecit?
Hæc opera, atq; hæ sunt generosi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita cantu
Prostitui, Grajaq; apium meruisse corona.

Majo-

Majorum effigies habeant insignia vocis,
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigonæ, seu personam Menalippes,
Et de marmareo citharam suspende Colosso.
Quid Catilina tuis natalibus, atq; Cethegi
Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templisq; paratis,
Vt Braccatorum pueri, Senonumq; minores,
Ausi quod liceat tunicâ punire molestâ.
Sed vigilat Consul, vexillaq; vestra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit ubiq;
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio. sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ:
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.
Atq; ideo, postquam ad Cimbros, stragemq; volabant,
Qui numquam attigerant majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secundâ.
Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro tantis legionibus hi tamen, & pro

Omni-

Omnibus auxilijs, atq; omni pube Latinâ
Sufficiunt Dijs infernis, Terræq; parenti.
Pluris enim Decij, quàm qui servantur ab illis.
Ancillâ natus trabeam, & diadema Quirini
Et fasceis meruit Regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius Consulis, & quos
Magnum aliquid dubiâ pro libertate deceret,
Quid miraretur cum Coclite Mucius, & quæ
Imperij fineis Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
Mâlo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen ut longè repetas, longeq; revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

IX.

Scire velim quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obductâ, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes udâ terit inguina barbâ?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hâc facie miserabilior Creperejus
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus

Circuit,

Circuit, & fatuos non invenit. unde repente
Tot rugæ? certè modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus,
Et salibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccæ
Silva comæ, nullus totâ nitor in cute, qualem
Præstabat calidi circumlita fascia visci:
Sed fruticante pilo neglecta, & squalida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimq; domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit utrunq;
Inde habitum facies. igitur flexisse videris
Propositum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis & advectæ secreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas,
Quod taceo, atq; ipsos etiam inclinare maritos.
Vtile & hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Inde operæ pretium. pingueis aliquando lacernas,
Munimenta togæ duri, crassiq; coloris,
Et malè percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum, venæq; secundæ.
Fata regunt homines: fatum est in partibus illis,
Quas sinus abscondit. nam si tibi sidera cessent,
Nil faciet longi mensura incognita nervi.
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, & blandæ assiduæ, densæq; tabellæ

Solli-

Sollicitent (αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἀνδρὸς κίνδυνος)
Quod tamen ulterius monstrum, quàm mollis avarus?
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, ac cevet. ponatur calculus, adsint
Cum tabulâ pueri, numera sestertia quinq;
Omnibus in rebus, numerentur deinde labores.
An facile, & pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atq; illic hesternæ occurrere cenæ?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quàm dominum. sed tu sanè tenerum & puerum te
Et pulcrum, & dignum cyatho, cæloq; putabas.
Vos humili adsectæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec morbo donare parati?
En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit. & stratâ positus, longâq; cathedrâ
Munera femineis tractas secreta Kalendis.
Dic passer, cui tot monteis, tot prædia servas
Apula, tot miluos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet,
Suspectumq; jugum Cumis, & Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans
Cum matre, & casulis, & conlusore catello
Cymbala pulsantis legatum fiet amici?
Improbus es, cum poscis, ait. sed pensio clamat
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulysses.

Alter

Alter emendus erit: namq; hic non sufficit: ambo
Pascendi. quid agam brumâ spirante? quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri,
Et pedibus? durate, atq; exspectate cicadas?
Verum ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris pretio, quod ni tibi deditus essem,
Devotusq; cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certè quibus ista modis. quàm sæpè rogaris,
Et quæ pollicitus. fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoq; ruperat, & jam
Signabat. tot âvix hoc ego nocte redemi
Te plorante foris. testis mihi lectulus, & tu,
Ad quem pervenit lecti sonus, & dominæ vox.
Instabile, ac dirimi cœptum, & jam pæne solutum
Conjugium in multis domibus servavit adulter.
Quo te circumagas? quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est ingrate, ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. foribus suspende coronas,
Jam pater es: dedimus quod famæ opponere possis.
Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur multa caducis,
Si numerum, si treis implevero. Justâ doloris
Nævole caussa tui. contra tamen ille quid affert?
Negligit, atq; alium bipedem sibi quærit asellum.
Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.

Nam

Nam res mortifera est inimicus pumice lævis.
Qui modo secretum commiserat, ardet, & odit,
Tanquam prodiderim quidquid scio. sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valuis
Non dubitat. nec contemnas, aut despicias quod
His opibus nunquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse pudas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen
E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Balteas? nec deerit qui te per compita quærat
Nolentem, & miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges quidquid paulo ante petebas
A nobis. taceant illi: sed prodere mâlunt
Arcanum, quàm subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.
Vivendum rectè est, cum propter plurima, tum de his
Præcipuè causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua malo pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis
Quorum animas & farre suo custodit, & ære.
Iccirco ut possim linguam contemnere servi,

Vtile

Vtile consilium modo, sed commune, dedisti.
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, & spes
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræq; brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi dêrit amicus,
Stantibus, & salvis his collibus. undiq; ad illos
Conveniunt & carpentis, & navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput: altera major
Spes super est: tu tantum erucis imprime dentem.
Hæc exempla para felicibus: at meo Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi nostriq; Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare coronâ,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete & baculo? viginti millia fœnus
Pignoribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet, & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locatâ
Securum jubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies pingat cito: sufficiunt hæc,
Quando ego pauper ero? votum miserabile, nec spes
His saltem. nam cum pro me fortuna rogatur,
Adfixit curas illâ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

IVN. IVVENALIS SATYR.

LIB. IIII.

X.

OMnibus in terris quæ sunt à Gadibus usq;
Auroram, & Gangem, pauci dinoscere possunt
Vera bona, atq; illis multum diversa, remotâ
Erroris nebulâ. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votiq; peracti?
Evertere domos totas, optantibus ipsi
Dij faciles. nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia. viribus ille
Confisus perijt, admirandisq; lacertis.
Sed plureis nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto Delphinis balæna Britannica major.
Temporibus igitur, divis jussuq; Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædiviti hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors: rarus venit in cenacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri.
Nocte iter ingressus, gladium, contumq; timebis.
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima ferè vota, & cunctis notissima templis

Divi-

Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat quoties de limine moverat unum,
Protuleratq; pedem: flebat contrarius alter?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem in curribus aliis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunicâ Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæq; coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, scepiro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis, quos sportula fecit amicos.
Tum quoq; materiam risus invenit ad omneis
Occursus hominum, cujus prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patriâ, crassoq; sub aëre nasci.
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi,
Interdum & lacrumas, cum fortunæ ipse minaci

Mandaret laqueum, mediumq; ostenderet unguem.
Ergo supervacua aut pernitiosa petuntur,
Propter quæ fas est genua incerâre Deorum.
Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atq; insignis honorum
Pagina, descendunt statuæ restemq; sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis frangunt crura caballis.
Jam stridunt ignes, jam follibus atq; caminis
Ardet odoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secundâ
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumq; bovem: Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. quæ labrâ? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indicibus, quo teste probavit?
Nil horum: verbosa & grandis epistola venit
A Capreis: bene habet. nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos. idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hâc ipsâ Sejanum diceret horâ
Augustum. jam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effugit curas. nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atq; duas tantum res anxius optat,
Panem, & Circenses. perituros audio multos

Nil

Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Vt malè defensus! curramus præcipites, &,
Dum jacet in ripâ, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice obstrictâ dominum trahat. hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari sicut Sejanus, habere
Tantundem, atq; illi sellas donare curuleis,
Illum exercitibus præponere: tutor haberi
Principis Augustâ Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? vis certè pila, cohortes,
Egregios equites, & castra domestica? quid ni
Hæc cupias? & qui nolunt occidere quenquam,
Posse volunt, Sed quæ præclara, & prospera tanti,
Vt rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus qui trahitur, prætextam sumere mâvis:
An Fidenarum, Gabiorumq; esse potestas,
Et de mensurâ jus dicere, vasa minora
Frangere, pannosus vacuis Ædilis Vlubris?
Ergo quid optandum foret, ignorâsse fateris
Sejanum. nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompejos evertit? & illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus,

Magnaq; numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt Reges, & siccâ morte tyranni.
Eloquium ac famam Demosthenis, ac Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterq; perît orator: utrunq;
Largus, & exundans letho dedit ingenij fons.
Ingenio manus est, & cervix cæsa, nec unquam
Sanguine causidici maduérunt rostra pusilli.
O fortunatam natam me Consule Romam,
Antonl gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. ridenda poëmata mâlo,
Quàm te conspicuæ divina Philippica famæ,
Volueris à primâ quæ proxima. sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.
Dijs ille adversis genitus, fatoq; sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladioq; parante
Incude, & luteo Vulcano ad rhetora misit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fractâ de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæq; triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se
Romanus, Grajusq;, ac Barbarus induperator
Erexit: causas discriminis, atq; laboris

Inde

Inde habuit. Tanto major famæ sitis est, quàm
Virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituliq; cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus: at quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt ipsis quoq; fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in Duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano: Niloq; admota tepenti.
Rursus ad Aethiopum populos, aliosq; elphantos
Additur imperijs Hispania: Pyrenæum
Transilit. opposuit natura Alpemq;, nivemq;:
Diduxit scopulos & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
Actum inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburâ.
O qualis facies, & quali digna tabellâ,
Cum Getula Ducem portaret bellua lusci!
Exitus ergo quis est? ô gloria! vincitur idem.
Nempe, & in exilium præceps fugit, atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat jugulare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim
Non gladij, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex, & tanti sanguinis ultor
Anulus. i demens, & sævas curre per Alpes,
Vt pueris placeas, & declamatio fias.
Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis:

Æstuat infelix, angusto limite mundi,
Vt Gyara clausus scopulis, parvâq; Scripho.
Cum tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula. creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historiâ: constratum classibus ijsdem,
Suppositumq; rotis solidum mare. credimus altos
Defecisse amneis, epotaq; flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relictâ,
In Corum, atq; Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non & stigmate dignum
Credidit. huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe unâ nave, cruentis
Fluctibus, ac tardâ per densa cadavera prorâ.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos:
Hoc recto vultu solum, hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis: deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemq; sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesq; genas, & taleis adspice rugas,
Qualeis umbriferos ubi pandit Tabraca saltus
In vetulâ scalpit jam mater simia buccâ.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atq; ille alio: multùm hic robustior illo:

Vna

Vna senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidiq; infantia nasi.
Frangendus misero gingivâ panis inermi.
Vsq; adeo gravis uxori, gnatisq;, sibiq;,
Vt captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini, atq; cibi torpente palato
Gaudia: nam coitus jam longa oblivio: vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis totâ palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus? adspice partis
Nunc damnum alterius. nam quæ cantante voluptas:
Sic licet eximius citharœdus, sive Seleucus,
Et quibus auratâ mos est fulgere lacernâ?
Quid refert magni sedeat quâ parte theatri;
Qui vix cornicines exaudiet, atq; tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.
Præterea minimus gelido jam in corpore sanguis
Febre calet solâ: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros auctumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos: quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus,
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.

Ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet. hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis,
Ipse ad conspectum cenæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præteritâ cenavit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit. nam codice sævo
Heredes vetat esse suos: bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod fleterat multis in carcere fornicis annis.
Vt vigeant sensus animi ducenda tamen sunt
Funera gnatorum, rogus adspiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæq; sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore, & nigrâ veste senescant.
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homer,
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atq; suos jam dextrâ computat annos,
Quiq; novum toties mustum bibit. oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: cum quærit ab omni,
Quisquis adest socius; cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo.

Hæc

Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atq; alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Trojâ Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſâq; Polyxena pallâ:
Si foret exſtinctus diverſo tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam ferroq; cadentem.
Tunc miles tremulus poſitâ tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram ſummi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue, & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato jam faſtiditus aratro.
Exitus ille utcunq; hominis: ſed torva canino
Latravit rictu, quæ poſt hunc vixerat, uxor.
Feſtino ad noſtros, & Regem tranſeo Ponti,
Et Crœſum, quem vox juſti facunda Solonis
Reſpicere ad longæ juſſit ſpatia ultima vitæ.
Exſilium, & carcer, Minturnarumq; paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis
Hinc cauſſas habuêre. quid illo cive tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ, animam exhalâſſet opimam,
Cùm de Teutonico vellet deſcendere curru?
Provida Pompejo dederat Campania febreis
Optandas: ſed multæ urbes, & publica vota

Vice-

Vicerunt. igitur fortuna ipsius, & urbis
Servatum victo caput abstulit. hoc cruciatu
Lentulus, hâc pœnâ caruit, cecidit q; Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater
Usq; ad delicias votorum. cur tamen, inquit,
Corripias? pulcrâ gaudet Latona Dianâ.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit. cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atq; suam Rutilæ dare. filius autem
Corporis egregij, miseros, trepidosq; parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formæ,
Atq; pudicitiæ, sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos?
Præterea castum ingenium, vultumq; modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benignâ
Larga manu (quid enim puero conferre potest plus
Custode, & curâ natura potentior omni?)
Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia. nullus ephebum
Deformem sævâ castravit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumosum, atq; utero pariter, gibboq; tumentem
I nunc, & juvenis specie lætare tui, quem
Majora exspectant discrimina. fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet, quascunq; mariiis
Iratis debent: nec erit felicior ostro

Martis,

Martis, ut in laqueos nunquam incidat. exigit autem
Interdum ille dolor plus, quàm lex ulla dolori
Concessit. necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Eudymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox cum dederit Servilia nummos,
Fiet & illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum. quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores.
Sed casto quid forma nocet? quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti.
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita repulsâ,
Nec Sthenobœa minus, quàm Cressa excanduit, & se
Concussêre ambæ. Mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet. elige quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat. optimus hic, & formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser extinguendus
Messallinæ oculis: dudum sedet ille parato
Flameolo, Tyriusq; palàm Genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas.
Non, nisi legitimè, vult nubere. quid placeat, dic:
Ni parêre velis, pereundum est ante lucernas.
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi & populo contingat Principis aureis.
Dedecus ille domus sciet ultimus. interea tu

Obse-

Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum. quidquid melius leviusq; putaris,
Præbenda est gladio pulcra hæc, & candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusq; sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæq; dabunt Dij.
Carior est illis homo, quàm sibi. nos animorum
Impulsu, & cæcâ, magnâq; cupidine ducti.
Conjugium petimus, partumq; uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisq; futura sit uxor.
Vt tamen & poscas aliquid, voveasq; sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano,
Fortem posce animum, mortis terrore carentem:
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunq; labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosq; labores,
Et Venere, & cenis, & plumâ Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare. Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullam Numen habes, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloq; locamus.

XI.

Atticus eximiè si cenat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? omnis

Con-

Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo. nam dum valida, ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumq; ardens sanguine fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno
Scripturus leges, & regia verba lanistæ.
Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli,
Et quibus in solo vivendi caussa palato est.
Egregiùs cenat, melliùsq; miserrimus horum,
Et citò casurus jam perlucente ruinâ,
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretijs obstantibus, interiùs si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, periturum arcessere summam
Lancibus oppositis, vel matris imagine fractâ,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellania ludij.
Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à censu famam trahit. illum ego jure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Lybiâ sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferratâ distet ab arcâ
Sacculus. è cælo descendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis. nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in quâ se transducebat Vlysses
Ancipitem. seu tu magno discrimine caussam

Pro-

Protegere affectas; te consule, dic tibi quis sis,
Orator vehemens, an Curtius, & Matho, bucca
Noscenda est mensura tua, spectandaq; rebus
In summis, minimisq;, etjam cum piscis emetur:
Nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. quis enim te deficiente crumenâ,
Et crescente gulâ, manet exitus, ære paterno
Ac rebus mersis in ventrem, fenoris, atq;
Argenti gravis, & pecorum, agrorumq; capacem?
Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Anulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerunq; gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur. inde ubi paullum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Bajas, & ad ostia currunt.
Cedere namq; foro jam non est deterius, quàm
Esquilias à ferventi migrare Suburâ.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci rediculum & fugientem ex urbe pudorem.
Experière hodie, nunquid pulcerrima dictu,
Persice non præstem vitâ, vel moribus, & re.
Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram alijs dictem puero, sed in aure placentas.
Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo

Hospes,

Hoſpes, & ipſe tamen contingens ſanguine cælum:
Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ.
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti:
Quis plus lactis habet, quàm ſanguinis; & montani
Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo.
Grandia præterea, tortoq; calentia fœno
Ova adſunt ipſis cum matribus, & ſervatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:
Signinum Syriumq; pyrum de corbibus ijsdem
Æmula Picenis, & odoris mâla recentis:
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuêre pericula ſucci.
Hæc olim noſtri jam luxurioſa Senatus
Cena fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula: quæ nunc
Squalidus in magnâ faſtidit compede foſſor,
Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga ſuis, rarâ pendentia crate,
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, ſi quam dabat hoſtia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Conſulis, atq;
Caſtrorum imperijs, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas ſolito maturius ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios, durumq; Catonem

Et Scauros, & Fabricios, rigidiq; severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum
Qualis in Oceani fluctu testudo natares,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum.
Sed nudo latere & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atq; supellex.
Tunc rudis, & Grajas mirari nescius artes
Vrbibus eversis prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, cælataq; cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ
Imperij fato, & geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & hastâ,
Pendentisq; Dei perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebat igitur Tusco farrata catino
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoq; majestas præsentior, & vox
Nocte fere mediâ, mediamq; audita per urbem
Litore ab Oceani Gallis venientibus, & Dijs
Officium vatis peragentibus. his monuit nos
Hanc rebus Latijs curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.
Illa domi natas, nostrâq; ex arbore mensas
Tempora viderunt: hoc lignum stabat ad usus,
Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.

At

At nunc divitibus cenandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit: putêre videntur
Vnguenta, atq; rosæ, latos nisi sustinet orbeis
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus.
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Jam nimios, capitiq; graveis. hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Anulus in digito quod ferreus. ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, & res
Despicit exiguas. adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hâc
Materiâ: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atq; aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres. & phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & totâ sonat ulmea cena Suburâ.
Nec fructum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ frustis imbutus ofellæ.
Plebejos calices, & paucis assibus emtos
Forriget incultus puer, atq; à frigore tutus,
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus,
Quisquam erit, & magno. cum posces, posce Latinè.

Idem habitus cunctis, tonsi, rectiq; capilli,
Atq; hodie tantum propter convivia pexi,
Pastoris duri est hic filius, ille bubulci
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, & notos tristis desiderat hædos.
Ingenui vultus puer, ingenuiq; pudoris,
Qualeis esse decet, quos ardens purpura vestit.
Nec pugillareis defert in balneas aucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas;
Crassa nec oppositio pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namq; una atq; eadem est vini patria, atq; ministri.
Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuq; probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ.
Spectent hoc nuptæ juxta recumbante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis:
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ: major tamen ista voluptas
Alterius sexus, magis ille extenditur, & mox
Auribus, atq; oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet: ille fruatur
Vocibus obscœnis, omniq; libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.
Namq; ibi fortunæ veniam damus, alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi

Omnia

Omnia cum faciant hilares, nitidiq; vocantur.
Noſtra dabunt alios hodie convivia ludos,
Conditor Iliados cantabitur, atq; Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, taleis verſus quâ voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam ceſſare diem: non fenoris ulla
Mentio, nec, primâ ſi luce egreſſa, reverti
Nocte ſolet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida ſuſpectis referens multicia rugis,
Vexataſq; comas, & vultum, auremq; calentem.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum, & ſervos, & quidquid frangitur illis,
Aut perit, ingratos ante omnia pone ſodaleis.
Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ,
Idæum ſolemne colunt, ſimiliſq; triumpho
Præda caballorum Prætor ſedet. ac, mihi pace
Immenſæ, nimiæq; licet ſi dicere plebis,
Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam ſi deficeret, mœſtam, attonitamq; videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Conſulibus. ſpectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponſio, quos cultæ decet aſſediſſe puellæ:
Noſtra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatq; togam. jam nunc in balnea ſalvâ
Fronte licet, vadas, quanquam ſolida hora ſuperſit
Ad ſextam. facere hoc non poſſis quinq; diebus

Continuis: quia sunt talis quoq; tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

XII.

NAtali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Quâ festus promissa Deis animalia cespes
Exspectat: niveam Reginæ cædimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maurâ.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpejo servata Jovi, frontemq; coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus, & aræ,
Spargendusq; mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi, similisq; adfectibus esset,
Pinguior Hispullâ traheretur taurus, & ipsâ
Mole piger, nec finitimâ nutritus in herbâ,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaq; passi
Nuper, & incolumem sese mirantis amici.
Nam præter pelagi casus, & fulguris ictum
Evasi, densæ cælum abscondere tenebræ
Nube unâ, subitusq; antennas impulit ignis,
Cum se quisq; illo percussum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando Pontica surgit
Tempestas. genus ecce aliud discriminis, audi,
Et miserere iterum, quanquam sint cetera sortis

Ejus-

Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votivâ testantur fana tabellâ
Plurima. pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit & nostro similis fortuna Catullo.
Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus:
Præcipitare volens etiam pulcerrima, vestem
Purpuream teneris quoq; Mœcenatibus aptam,
Atq; alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aër.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci,
Adde & bascaudas, & mille escaria, multum
Cælati, biberat quo pallidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusq; salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna lævant. tunc adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro summittere et, ac se

Explicat angustum, discriminis ultima quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima tæda.
Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagena
Adspice sumendas in tempestate secureis.
Sed postquam jacuit plannm mare, tempora postquam
Prospera vectoris, fatumq; valentius Euro,
Et pelago, postquam Parcæ meliora benignâ
Pensa manu ducunt hilares, & flaminis albi
Lanificæ, modicâ nec multum fortior aurâ
Ventus adest: inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extentis, &, quod superaverat unum,
Velo prora sua. jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum Sole redit: tum gratus Iulo,
Atq; novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit. lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrenamq; Pharon, porrectaq; brachia rursum,
Quæ Pelago currunt medio, longeq; relinquunt
Italiam. non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: sed truncâ puppe magister
Interiora petit Bajanæ pervia cimbæ
Tuti stagna sinus, gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur pueri, linguis, animisq; faventes,

Ser-

Sertaq; delubris & farra imponite cultris,
Ac molleis ornate focos, glebamq; virentem:
Jam sequar, & sacro, quod restat, ritè peracto
Inde domum repetam, gracileis ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cerâ.
Hic nostrum placabo Jovem, Laribusq; paternis
Thura dabo, atq; omneis violæ jactabo colores.
Cuncta nitent. longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes. libet exspectare, quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. verum hæc nimia est impensa: coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, & Paccius orbi:
Legitimè fixis vestitur tota tabellis
Porticus, existunt qui promittant hecatomben,
Quatinus hic non sunt, nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam sub nostro sidere talis
Bellua concipitur: sed furvâ gente petita
Arboribus Rutulis, & Turni pascitur agro
Cæsaris armentum. nulli servire paratum
Privato. siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali, & nostris Ducibus, Regiq; Molosso.
Horum majores ac dorso ferre cohorteis,
Partem aliquam belli, vel euntem in prœlia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Istrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,

Et cadat ante Lares Gallinæ victima sacra,
Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna aut pulcerrima quæq;
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, & si qua est nubilis illi
Iphigeneia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,
Post meritum sanè mirandum, atq; omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit. ille superbus
Incedet victis rivalibus, ergo vides quam!
Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum,
Possideat quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet, nec amet quenquam, nec ametur ab ullo.

IVN. IVVENALIS SATYR.

LIB. V.

XIII.

Exem-

Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi
Displicet auctori. prima est hæc ultio, quod se
Judice, nemo nocens absoluitur, improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.
Quid sentire putas omneis, Calvine, recenti
De scelere, & fidei violatæ crimine? sed neo
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus,
Quæ pateris. casus hic multis cognitus, ac jam
Tritus, & è medio fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam, exiguamq; malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardes
Visceribus sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos Fontejo Consule natus?
An nihil in melius tot rerum profectis usu?
Magna quidem sacris quæ dat præcepta libellis,
Victrix fortunæ sapientia. Ducimus autem
Hos quoq; felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vitâ didicere magistrâ.
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atq; omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide numos?
Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Nons

Nona ætas agitur, pejoraq; ſæcula ferri
Temporibus: quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo.
Nos hominum, Divûmq; fidem clamore ciemus,
Quanto Faſidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic ſenior bullâ dignißime, neſcis
Quas habeat Veneres aliena pecunia? neſcis,
Quem tua ſimplicitas riſum vulgo moveat, cum
Exigis à quoquam ne pejeret, & putet ullis
Eſſe aliquod numen templis, aræq; rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, prius quàm
Sumeret agreſtem poſito diademate falcem
Saturnus fugiens. tunc, cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Juppiter antris,
Nulla ſuper nubes convivia Cælicolarum,
Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam ſiccato nectare tergens
Brachia Volcanus Lipareâ nigra tabernâ.
Prandebat ſibi quiſq; Deus, nec turba Deorum
Talis, ut eſt hodie, contentaq; ſidera paucis
Numinibus, miſerum urgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis ſortitus triſte profundi
Imperium, aut Siculâ torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec ſaxum aut vulturis atri
Pœna: ſed infernis hilares ſine regibus Umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo:
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunq; puer. licet ipſe videres

Plura

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaq; par adeò sacræ lanugo senectæ.
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum totâ ærugine follem
Prodigiosa fides, & Tuscis digna libellis,
Quæq; coronatâ lustrari debeat agnâ.
Egregium sanctumq; virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro
Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ,
Sollicitus tanquam lapides effuderit imber,
Examenq; apium longâ consederit uvâ
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilegâ. quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorum tertius illâ
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile, & pronum est superos contemnere testeis
Si mortalis idem nemo sciat. adspice quantâ
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpejaq; fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis:
Per calamos venatricis pharetramq; puellæ,
Perq; tuum pater Ægei Neptune tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamq; Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.
Si vero & pater est, comedam, inquit, flebile gnati
Sinciput elixi, Pharioq; madentis aceto.

Sunt

Sunt in Fortunæ qui casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri
Naturâ volvente vices & lucis, & anni,
Atq; ideo intrepidi quæcunq; altaria tangunt.
Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & pejerat, atq; ita secum:
Decernat quodcunq; volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Nunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Pro dubitet Ladas, si non eget Anticyrâ, nec
Archigene. quid enim velocis gloria plantæ
Sæstat, & esuriens Piscæ ramus olivæ?
Vt sit magna tamen certè lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes
Quando ad me venient? sed & exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere. multi
Committunt eadem diverso crimina fato;
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam cum magna malæ superest audacia caussæ,
Creditur à multis fiducia. mimum agit ille,
Vrbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius quantum Gradivus Homericus: audis
Jupiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem

Debue-

Debueras vel marmoreus, vel aëneus? aut cur
In carbone tuo charta pia tura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaq; porci
Omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuamq; Vagelli.
Accipe quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunicâ distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubij medicis majoribus ægri:
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec planâ faciem contundere palmâ:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur numi, quàm funera. nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos, humore coacto.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querelâ,
Si decies lectis deversâ parte tabellis
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera, gemmaq; princeps
Sardonichus, loculis quæ custoditur eburnis:
Te nunc delicias extra communia censes
Ponendum: quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,

Si

Si flectas oculos majora ad crimina. confer
Conductum latronem, incendia sulfure cœpta,
Atq; dolo, primas cum janua colligit igneis:
Confer & hos, veteres qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ robiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas à Rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?
Confer, & artifices, mercatoremq; veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hoc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus urbis
Vsq; à Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus. paucos consume dies, &
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas volucres Thracum, nubemq; sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curvis
Vnguibus à sævâ fertur grue. si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assiduè spectentur prœlia, ridet

Nemo

Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisq; nefandæ
Pœna erit? abreptum crede hunc graviore catenâ
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. manet illa tamen jactura, nec unquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis:
At vindicta, bonum vitâ jucundius ipsâ.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis.
Quantulacunq; adeo est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium dulciq; senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. plurima felix
Paullatim vitia, atq; errores exuit omneis
Prima docens rectum sapientia: quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguiq; voluptas
Ultio. continuo sic collige, Quod vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm femina. cur tamen hos tu
Evasisse putes: quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, & Rhadamanthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vati:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri

Jurando: quærebat enim quæ Numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus. & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramq; probavit
Exstinctus totâ pariter cum prole, domoq;,
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interq; molares
Difficili trescente cibo. sed vina misellus
Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt:
Continuo templum, & violati Numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem sudoribus urget,
Te videt in somnis. tua sacra, & major imago
Humanâ turbat pavidum, cogitq; fateri.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat: exanimes primo quoq; murmure cæli,
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratis cadat in terras, ut vindicet ignis.
Illa nihil nocuit: curâ graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpêre pati, missum ad sua corpora morbum

Infesto

Infesto credunt à Numine: saxa Deorum
Hæc, & tela putant. pecudem spondêre sacello
Balantem, & Laribus crissam promittere galli
Non audent. Quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia vitâ?
Mobilis, & varia est fermè natura malorum.
Cum scelus admittunt, superest constantia: quod fas,
Atq; nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa, & mutari nescia. nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrità de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, scopulosq; frequentes
Exsulibus magnis. pœnâ gaudebis amarâ
Nominis invisi, tandemq; fatere lætus
Nec surdum, nec Terestiam quenquam esse Deorum.

XIIII.

PLurima sunt, Fuscine, & famâ digna sinistrâ,
Et nitidis maculam hæsuram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntq; parentes.
Si damnosa senem juvat alea: ludit & heres
Bullatus, parvoq; eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis: qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes

Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et canâ monstrante gulâ. cum septimus annus
Transierit puerum, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu
Semper, & à magnâ non degenerare culinâ.
Mitem animum & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atq; animas servorum, & corpora, nostra
Materiâ constare putat, paribusq; elementis:
An sævire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Scirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid suades juveni lætus stridore catenæ,
Quem mirè afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? exspectas, ut non sit adultera Largæ
Filia: quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò, nec tanto poterit contexere cursu,
Vt non ter decies respiret? conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc hâc dictante puellas
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.
Sic natura jubet: velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos auctoribus. unus, & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benignâ,
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Absti-

Abſtineas igitur damnandis. hujus enim vel
Vna potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac pravis omnes ſumus, & Catilinam
Quocunq; in populo videas, quocunq; ſub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.
Nil dictu fœdum, viſuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt. procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia. ſi quid
Turpe paras, nec te pueri contemſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.
Nam ſi quid dignum Cenſoris fecerit irâ
Quandoq;, & ſimilem tibi ſe non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoq; filius, & qui
Omnia deteriùs tua per veſtigia peccet,
Corripies nimirum, & caſtigabis acerbo
Clamore, ac poſt hæc tabulas mutare parabis.
Vnde tibi frontem, libertatemq; parentis,
Cum facias pejora ſenex, vacuumq; cerebro
Jampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Hoſpite venturo, ceſſabit nemo tuorum:
Verre pavimentum: nitidas oſtende columnas:
Arida cum totâ deſcendat aranea telâ:
Hic lævo argentum; vaſa aſpera tergeat alter.
Vox domini furit inſtantis, virgamq; tenentis.
Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus: & tamen uno

Semodiò scobis hæc emendat servulus unus:
Illud non agitas ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioq; carentem.
Gratum est, quod patriæ civem, populoq; dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ.
Illi eadem sumtis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibusq; relictis,
Ad fetus properat, partemq; cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoq; vulturis, & se
Pascentis, propriâ cum jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Jovis, & generosæ
In saltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur: inde autem, cum se matura levârit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primùm prædam rupto gustaverat ovo.
Ædificator erat Centronius, & modo curvo
Litore Cajetæ, summâ nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longèq; petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atq; Herculis ædem:
Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen mensura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,

Dum

Dum meliore novas attolit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant,
Nec distare putant humanâ carne suillam,
Quâ pater abstinuit, mox & præputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunq; volumine Moyses.
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti:
Quæsitum ad fontem soles deducere verpos,
Sed pater in caussâ: cui septima quæq; fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.
Sponte tamen juvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoq; avaritiam exercere jubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis, & umbrâ,
Cum sit triste habitu, vultuq; & veste severum.
Nec dubiè tanquam frugi laudetur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela suarum
Certa magis, quàm si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus. adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat adquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocunq; modo, majoraq; fiunt
Incude assiduâ, semperq; ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus i[illegible]os

Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes,
Mox adquirendi docet insatiabile votum,
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoq; esuriens: neq; enim omnia sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cenæ
Alterius, conchem æstivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio, putriq; siluro,
Filaq; sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte, negabit.
Sed quo divitias hæc per tormenta coactas,
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris, egenti vivere fato?
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit,
Et minus hanc optat, qui non habet. ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines, majorq; videtur,
Et melior vicina seges: mercaris & hanc, &
Arbusta, & densâ montem qui canet olivâ.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoq; famelica collo
Jumenta ad virides hujus mittentur aristas.
Nec prius inde domum, quàm tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum
Dicere vix possis, quàm multi talia plorent,
Et quot venalcis injuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quàm fœdæ buccina famæ?

Quid

Quid nocet hoc, inquit. tunicam mihi mâlo lupini,
Quàm si me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet & morbis, & debilitate carebis,
Et luctum, & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi posthæc fato meliore dabuntur:
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia vel Pyrrhum immanem, gladiosq; Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. merces hæc sanguinis, atq; laboris,
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamq; casæ: quâ fœta jacebat
Vxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde ferè scelerum causſæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassator sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Immodici census. nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?
Vivite contenti casulis, & collibus istis
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim
Vestinusq; senex: panem quæramus aratro

Qui satũ est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope, & auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alio
Per glaciem perone tegi, qui summovet Euros
Pellibus inversis, peregrina, ignotaq; nobis
Ad scelus, atq; nefas, quæcunq; est, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Post finem autumni mediâ de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe puer, vigila, causſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresq; pilosas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat, aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, & trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Vllius subeant ablegandæ Tiberim ultra,
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Vnguenta, & corium. Lucri bonus est odor ex re
Quâlibet. illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Dijs, atq; ipso Jove digna poëtæ:
Vnde habeas quærit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem,
Hoc discunt omnes ante alpha, & beta puellæ.
Talibus instantem monitis, quemcunq; parentem

Sic

Sic possem adfari dic ô vanissime, quis te
Festinare jubet? meliorem præsto magistro
Discipulum. securus abi: vincêris, ut Ajax
Præterijt Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum est teneris. nondum implevêre medullas
Nativæ mala nequitiæ. cum pectere barbam
Cæperit, & longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet perjuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens aramq; pedemq;,
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortiferâ cum dote subit. quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terrâq; mariq;
Acquirenda putas, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi:
Mentis caussa malæ tamen est, & origo penes te.
Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisq; relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis juveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet, attollatq; propinqui:
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum

Dile-

Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus:
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, & horrida bella capessunt
Continuò, tanquam & tubicen surrexerit unà.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumq; magistrum
In caveâ magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Exspectare colos. morieris stamine nondum
Abrupto. jam nunc obstas, & vota moraris:
Jam torquet juvenem longa, & cervina senectus.
Ocyùs Archigenem quære, atq; eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum,
Atq; alias tractare rosas. medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat & pater, & Rex.
Monstro voluptatem egregiam; cui nulla theatra,
Nulla aquare queas Prætoris pulpita lauti,
Si spectas quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, ærată multus in arcâ
Fiscus, & ad vigilem ponendi Castora nummi
Ex quo Mars ultor galeam quoq; perdidit, & res
Non potuit servare suas. ergo omnia Floræ
Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas:
Tanto majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quæq; solent rectam descendere funem,
Quam tu Coryciâ qui semper puppe moraris,
A-q; habitas, Coro semper tollendus, & Austro,

Perdi-

Perditus, ac vilis sacci mercator olentis:
Qui gaudes pingue antiquæ de litore Cretæ
Passum, & municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia plantâ
Victum illâ mercede parat, brumamq́, famemq́
Illâ reste cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius aspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum jam
In pelago. veniet classis quocunq́ vocarit
Spes lucri, nec Carpathium, Getulaq́ tantum
Æquora transiliet: sed longè Calpe relictâ,
Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis, tumidâq́ superbus alutâ
Oceani monstra, & juvenes vidisse marinos,
Non unus menteis agitet furor: ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur, & igni:
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. parcat tunicis licet, atq́ lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabulâ distinguitur undâ:
Cum sit caussa mali tanti, & discriminis hujus,
Concisum argentum in titulos, facieśq́ minutas.
Occurrunt nubes, & fulgura: solvite funem
Frumenti dominus clamat, piperisq́ coëmti.
Nil color hic cæli, nil fascia nigra minatur?
Æstivum tonat. infelix. ac forsitan ipsâ
Nocte cadit fractis trabibus, fluctuq́ premetur
Obrutus, & zonam lævâ, morsuq́ tenebit.

Sed

Sed, cujus votis modò non sufficerat aurum,
Quod Tagus, & rutilâ voluit Pactolus arenâ,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguusq; cibus, mersâ rate naufragus assem
Dum rogat, & pictâ se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, curâ majore, metuq;
Servantur. Misera est magni custodia census.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisq; suis, Phrygiâq; columnâ,
Atq; ebore, & latâ testudine. dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, atq; eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testâ cum vidit in illâ
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam. mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis, atq; fames, & frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis sufficit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt antè penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te cludere. misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoq; si rugam trahit, extenditq; labellum:
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.

Si

Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperijs uxorem occidere jussus.

XV.

QVis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilion adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atq; vetus Thebæ centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Opida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum, & cepe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. nefas illic fetum jugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. attonito cum
Tale super cenam facinus narraret Vlysses
Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abicit, sævâ dignum, verâq; Charybdi
Fingentem immanes Læstrygonas & Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneis, plenos & tempestatibus utreis
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elphenora porcis.

Tam

Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis meritò nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyræâ temetum duxerat urnâ:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper Consule Junio
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti,
Nos vulgi scelus, & cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus à Pyrrhâ, quanquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. accipe nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus, atq; antiqua simultas:
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus:
Ardet adhuc Combos, & Tentyra. summus utrinq;
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit uterq; locus, cum solos credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus, ac ducibus: ne
Lætum, hilaremq; diem, ne magnæ gaudia cenæ
Sentirent positis ad templa, & compita mensis,
Pervigiliq; toro, quem luce ac nocte jacentem
Septimus interdum Sol invenit. horrida sanè
Ægyptus: sed luxuriâ, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis, & Blæsis atq; mero titubantibus, inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunq;
Vnguenta, & flores, multæq; in fronte coronæ:

Hinc

Hinc jejunum odium. sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ sine, vulnere malæ,
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer. aspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & puerileis
Exercere acies, quòd nulla cadavera calcent.
Et sanè quò tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditione
Tela. nec hunc lapidem, qualeis & Turnus, & Ajax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ: sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.
Ergo Deus quicunq; aspexit ridet, & odit.
A deverticulo repetatur fabula. postquam.
Subsidijs aucti pars altera promere ferrum
Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus instant,
Qui vicina colunt umbrosæ Tenyra palmæ.
Labitur hinc quidam, nimiâ formidine cursum
Præcipitans, capiturq; ast illum in plurima sectum
Frusta, & particulas, ut multis mortuus unus

Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aëno,
Aut verubus: longum usq; adeo, tardumq; putavit
Exspectare focos, contenta cadavera crudo.
Hic gaudêre libet, quod non violaverit ignem,
Quem summâ cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris, elemento gratulor, & te
Exsultare reor. sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil unquam hâc carne libentiùs edit.
Nam scelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. ultimus autem
Qui sitit absumto jam toto corpore. ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxêre animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumq; ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Hujus enim, quod nunc agitur miserabile debet
Exemplum esse cibi. sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem, ac maciem, & tenuos miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. quisnam hominũ veniam dare, quisve Deorum
Vrbibus abnuerit dira, atq; immania passis,
Et quibus illorum poterant ignoscere Manes,
Quorum corporibus vescebantur? melius nos
Zenonis præcepta monent. neq; enim omnia, quædam
Pro vitâ facienda putat. sed Cantaber unde

Stoi-

Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?
Nunc totus Grajus, nostrasq; habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur jam rhetore Thyle.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & pax
Virtute, atq; fide: sed major clade Saguntus.
Tale quid excusat? Mæotide sævior arâ
Ægyptus. quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix, homines, ut jam, quæ carmina tradunt
Digna fide credas, tantum immolat: ulteriùs nil,
Aut graviùs cultro timet hostia. quis modo casus
Impulit hos? quæ tanta fames, infestaq; vallo
Arma coègerunt, tam detestabile monstrum
Audére? anne aliam terrâ Memphitide ficcâ
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Quâ nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromataq; truces, aut immanes Agathyrsi,
Hâc sævit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes, ira atq; fames. mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit. hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo jubet caussam lugentis amici,
Squaloremq; rei, pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu
O ra puellares faciunt incerta capilli.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans
Et minor igne rogi. quis enim bonus, & face dignus
Arcanâ, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Villa aliena sibi credat mala? separat hoc nos
A grege mutorum, atq; ideo venerabile solis
Sortiti ingenium, divinorumq; capaces,
Atq; exercendis, capiendisq; artibus apti
Sensum à cælesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona, & terram spectantia. mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoq;, mutuus ut nos
Adfectus petere auxilium, & præstare juberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, & proavis habitatas linquere silvas:
Ædificare domos, Laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limite somnos
Vt collata daret fiducia: protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tubâ, defendier ijsdem
Turribus, atq; unâ portarum clave teneri.
Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo, quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam, sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefandâ
Produxisse parum est, cum rastra, & sarcula tantum

Adsueti

Adsueti coquere, & marris, ac vomere lassi
Nescierint primi gladios extendere fabri.
Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras: cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen.

XVI.

QVis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? nam si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere: plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samiâ genetrix, quæ delectatur arenâ.
Commoda tractemus primùm communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat: immo & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atq; oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis. justissima centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Vltio, si justæ defertur caussa querelæ.

Tota cohors tamen est inimica, omnesq; manipli
Consensu magno officiunt: curabitis ut sit
Vindicta gravior quàm injuria. dignum erit ergo
De clamatoris Mutinensis corde Vagelli,
Cum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. quis tam procul absit ab urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Vt veniat? lacrymæ siccentur protinus, & se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, judex cum dixerit: audeat ille
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, vidi,
Et credam dignum barbâ, dignumq; capillis
Majorum. citiùs falsum producere testem
Contra paganum posis, quàm vera loquentem,
Contra fortunam armati, contraq; pudorem,
Præmia nunc alia, atq; alia emolumenta notemus
Sacramentorum. convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo,
Debitor aut sumtos pergit non reddere numos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni:
Exspectandus erit, qui lites inchoat, annus
Totus populi: sed tunc quoq; mille ferenda
Tædia, mille moræ, toties subsellia tantum
Sternuntur, jam facundo ponente lacernas
Cædicio, & Fusco jam micturiente, parati
Digredimur, lentâq; fori pugnamus arenâ.
At illis quos arma tegant, & balteus ambit,

Quod

Quod placitum est, ipsis præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo subflamine litis.
Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur: nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater. ergo Coranum
Signorum comitem, castrorumq; æra merentem
Quamvis jam tremulus, captat pater: hunc labor æquus
Provehit, & pulcro reddit sua dona labori,
Ipsius certè ducis hoc referre videtur,
Vt qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

FINIS.

Qu… …is præstatur tempus agendi,
Nec… …subflamine litis.
Solis p… …ilitibus jus
Vivo pa… …e sunt parta labore
Militiæ, p… …orpore census,
Omne tene… …er. ergo Coranum
Signorum co… …, æra merentem
…uamvis jam … …ter: hunc labor æquus
Provehit, & pu… …labori,
Ipsius certè ducis …
Vt qui fortis erit, st…
Vt læti phaleris omne… …nes.

FI…

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775709930/phys_0153